6.
37 -e
81

6
15 F
9'

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-37-e-81-

23

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRI DE VINEIS
JUDICIS AULICI ET CANCELLARII
FRIDERICI II. IMP.
EPISTOLARUM

Quibus
Res geſtæ ejusdem Imperatoris aliaque
multa ad Hiſtoriam ac Jurisprudentiam
ſpectantia continentur

L I B R I V

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Novam hanc Editionem adjectis
variis Lectionibus
curavit

JOH. RUDOLPHUS ISELIUS JC.

Accedit
Simonis Schardii Hypomnema de fide,
amicitia & obſervantia Pontificum Romanorum erga Imperatores
Germanicos.

Tom. II.

BASILEÆ,
Sumptibus JOH. CHRIST, MDCCXL.

1740

Digitized by Google

CAPITA LIBRI QUARTI
Epiſtolarum Petri de Vineis.

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRidericus univerſis Prælatis & Clericis regni Siciliæ, de morte regis Heinrici filii ſui. Cap. I.

Capitaneo ſuo de morte Imperatricis, & ut ejus exequias per juriſdictionem ſuam faciat celebrari. Cap. II.

Cuidam nobili, de morte ſoceri ſui. Cap. III.

Cuidam fideli ſuo, conſolando eum de morte filii ſui occiſi in expugnatione Victoriæ. Cap. IV.

Literæ conſolationis comiti Caſertano, lugenti de morte Epiſcopi fratris ſui. Cap. V.

Comiti Acerrarum, conſolando eum de morte filii ſui cadentis in bello. Cap. VI.

Literæ conſolatoriæ miſſæ ſcholaribus de morte magiſtri Bernhardi. Cap. VII.

Eisdem, de eodem, facta mentione de quodam alio magiſtro præmortuo. Cap. VIII.

Eisdem, de morte magiſtri Jacobi Baldevvini. Cap. IX.

Mater ſignificat mortem filii ſui magiſtro Petro de Vineis, & recommendat alios filios ſuos ſibi. Cap. X.

Reſponſiva ad præcedentem, conſolando eam. Cap. XI.

Conſolatur patrem de morte filii ſui decedentis in ſervitio Cameræ. Cap. XII.

Magiſter Petrus conſolatur matrem, fratres & ſorores ſuas, de morte patris ſui. Cap. XIII.

Conſolationis literæ ad affines, de morte cognati ſui. Cap. XIV.

Literæ doloris de morte regis Joannis, & quod duo filii ipſius deducantur ad ipſius præſentiam. Cap. XV.

Literæ conſolatoriæ, ad quendam de morte filii ſui. Cap. XVI.

EPI-

EPISTOLARUM PETRI DE VINEIS,

Liber IV.

Cap. I.

Fridericus univerſis Prælatis & clericis regni Siciliæ, de morte regis Heinrici filii ſui.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MIſericordia pii patris, ſeveri judicis exuberante judicium, Heinrici primogeniti filii noſtri fatum lugere compellimur, lachrymarum ab intimis educente natura (1) diluvium quod lachrymas (2) offenſæ dolor, & juſtitiæ rigor intrinſecus obfirmabant. Mirabuntur forſitan diri patres invictum publicis hoſtibus Cæſarem, dolore domeſtico potuiſſe (3) convinci: ſubjectus eſt tamen cujuslibet principis animus, quantumvis rigidus (4) naturæ dominantis imperio. Quæ cum vires ſuas exercet in quemlibet, reges & Cæſares non agnoſcit. Fatemur ſiquidem (5) quod qui (6) vivi regis ſuperbia flecti nequivimus, ſumus ejusdem filii noſtri caſu commoti. Sumus tamen eorum nec primi nec ultimi, qui filiorum detrimenta transgredientium pertulerunt & nihilominus poſt (7) eorum funera deplorarunt. Luxit namque David triduo primogenitum Abſolonem: & in

(1) *educente natura* l. educentes. (2) *lachrymas* abeſt. (3) *potuiſſe* l. poſſe. (4) *rigidus* l. rigidæ. (5) *ſiquidem* abeſt. (6) *qui* abeſt. (7) *poſt* l. poſtmodum.

Pompeji generi ſui cineres, fortunam & animam ſoceri perſequentis, magnificus ille Julius primus Cæſar paternæ pietatis officium, & lachrymas non negavit. Nec dolor acerrimus ex transgreſſione (8) conceptus, eſt efficax parentibus medicina doloris, quin in obitu filiorum natura pungente, non doleant contra naturam à filiis irreverenter offenſi. Nolentes igitur, & etiam non valentes circa prædicti filii noſtri obitum omittere, quæ ſunt patris: fidelitati tuæ præſentium tenore mandamus, quatenus per totam Abbatiam cunctis clericis & cæteris fidelibus noſtris injungas (9), ut ejus exequias cum omni devotione ſolenniter celebrantes, animam ejus cum decantatione Miſſarum, & aliis eccleſiaſticis Sacramentis divinæ miſericordiæ recommendent, manifeſtis indiciis oſtendentes (10), quod ſicut in gaudiorum noſtrorum tripudiis exultant hilariter, ſic & doloribus noſtris condolere fideliter videantur.

Cap. II.

Capitaneo ſuo, de morte Imperatricis, & ut ejus exequias per juriſdictionem ſuam faciat celebrari.

LAtentis hoſtis inſidias non potuimus effugere, quin poſt innumeras regiones ſub virga Majeſtatis noſtræ deductas, sereniſſimam Auguſtam ex regali progenie ortam, nobis pace potientibus & quiete, impiæ mortis ignavia ſubriperet violenter. Non igitur hilari-

(8) *ex transgreſſione* l. in filiorum transgreſſione. (9) *injungas* l. injungatis. (10) *oſtendentes* l. attendentes.

laritatem vultus poſſumus exhibere, cum noſtræ conſortis obitus nobis (1) amaritudinis propinet poculum, nosque (2) moleſtet jugiter & impugnet. [Verumtamen nolumus doloris amaritudine ſic Majeſtatem noſtram afficere, quod creatoris offendamus noſtri clementiam, & doloris immenſitas in nobis impediat, quid honoris conferre noſtræ conſorti dignanter expediat & doceat reverenter 3]: præſertim quia volumus, ut tantæ noſtræ participis memoria, ſit celebris ſuper terram: tibi diſtricte præcipimus, quatenus ejus exequias per totam jurisdictionem tuam ab undique locorum degentibus, præcipue à clericis & populis civitatum, campanis quo decet honore pulſatis, univerſaliter facias celebrari, ut quilibet in Eccleſiis congregati, Auguſtæ animam, qui aufert Spiritum Deo (4) vivo ſpecialiter recommendent: cavens ne inde aliud facias, ſicut noſtræ indignationis aculeum non incurrere concupiſti (5).

Cap. III.

Cuidam nobili, de morte ſoceri ſui.

CUm poſt (1) ſedatos undique turbines, quos dudum in regno noſtro Siciliæ calumnioſa temporis procella concreverat, noſtris (2) nuper faveret affectibus fortunæ placiditas, & noſtrorum proceſſuum latera circuiret, ſubito rumor infeſtus & nubi-

(1) *nobis* abeſt. (2) *propinet poculum, nosque* l. vinculum nos. (3) [ ] deſunt. (4) *Deo* l. de. (5) *concupiſti* l. concupiſtis. (1) *poſt* abeſt. (2) *noſtris* l. noſtris & veſtris.

lus clauſtra noſtræ jucunditatis infregit, illas nobis inſipidas amaritudinis propoſitiones interſerens, quod N. dux Bavariæ, chariſſimus ſocer (3) Superioris ducis (4) ductus imperio, & in patriam (5) quæ iter (6) eſt omnibus generale mortalium, neceſſitate vocatus (7) humanitatis commune debitum, [quod exceptio 8] quævis allegata non prorogat (9), ex inevitabili lege fatalitatis (10) exolvit. Ex quo tanto (11) nos pungit doloris ictus acerbius, quanto per ejus abſentiam, qui genitoris in nobis officium compenſabat, & velut [noſtri pars magna conſilii erga nos, charitatis paternæ 12] non impares dabat affectus, multa nobis deciſæ carnis & grandia incommoda reſerata ſentimus (13). Verum quia ſic irreparabiliter cadere hominis eſt, natura non pœna, & morbus iſte non eſt medicabilis herbis: ſed illius eſt Excelſi dexteræ mutatio, qui caput excelſum & humile neceſſariæ amplexibus æqualitatis involvit: multa nobis & tibi ſunt exinde ſolaminis (14) aſſumenda conſilia, ut & nos decedentis patris occaſum ſuperſtitibus conſolemur in filiis. In quibus nobis affinitatis ſolidæ pignora remanſerunt, & tu quæcunque (15) tibi tam turbidus caſus ingeſſerit, in nobis reparabilia (16) ſentias detrimenta: qui tam ex carnis unione qua jungimur, quam ex dilectionis

(3) *ſocer* l. ſocer noſter. (4) *ducis* l. domini. (5) *patriam* l. patria. (6) *iter* l. inter. (7) *vocatus* l. vocatos. (8) [ ] deſunt. (9) *prorogat* l. provocat. (10) *fatalitatis* l. fertilitatis. (11) *tanto* abeſt. (12) [ ] deſunt. (13) *incommoda reſerata ſentimus* l. commoda reſervata ſanamus. (14) *ſolaminis* l. Salomonis. (15) *quæcunque* l. quoque. (16) *reparabilia* l. temporalia.

nis etiam vinculo quo unimur, tua & tuorum negotia non minus libenter quam propria, continuis ſemper profectibus diſponimus promovere. Propter quod dilectionem tuam inducimus & hortamur attente, quatenus non expectans ut (17) conſolandi remedia laſſitudo tibi mœroris indulgeat: ſed animum redolens viri fortis aſſumas omnem cauſam lugubrii (18), dolorisque reliquias, quas forte tibi muliebris mollities reliquit ad lachrymas, verborum noſtrorum lenimentis abjicias, & in gratioſa (19) ſpe noſtræ proximitatis abſtergas. Ad hæc quicquid N. tibi de honore & ſervitiis noſtris verbotenus (20) ex parte noſtra retulerit, indubitabiliter (21) proſequaris.

Cap. IV.

Cuidam fideli ſuo, conſolando eum de morte filii ſui occiſi in expugnatione Victoriæ.

Lugubrem filii tui caſum, vulgaris famæ fortaſſis lugoſitate præcognitum (1), cujus doloris aculeus prius dominica pectora tranſiens, quam paterna, fecit in nobis quantum licuit & decuit (2) ſtationem, infeſto tibi ſtylo deſcribimus. Et licet ejusdem obitus (3) nos in ejusdem obſequiorum ſubtractione turbaverit, & te, ſicut firmiter credimus, in

a ſ carnis

(17) *expectans ut* l. expectas. (18) *cauſam lugubrii* l. tamen fulgoris. (19) *& in gratioſa* l. in generoſa. (20) *verbotenus* abeſt. (21) *indubitabiliter* l. indubitanter. (1) *præcognitum* l. propoſitum. (2) *decuit* l. debuit. (3) *obitus* abeſt.

carnis deciſione medullitus venabulo quodam jaculo (4) inopinato percutiat: ſi modus tamen & qualitas (5) mortis attenditur, conſolationis remedium, quod nos jam exinde probabili ratione (6) concepimus, locum grandem invenire firmiter opinamur in patre. Dum enim idem filius tuus Cameræ noſtræ ſervitiis aſſiduus & obſequioſus inſiſteret, in combuſtione Caſtrorum noſtrorum Victoriæ, ubi eum potuerat à rebellium noſtrorum manibus fuga ſubducere, devotionis firma (7) conſtantia, quæ vix cadere conſuevit in juvenem; gladii ſuperante terrore (8) cruenta maluit morte ſuccumbere, quam dimiſſis aulæ noſtræ ſervitiis ſaluti propriæ ſibi per abſentationis ſubſidium providere. Ex hac igitur quam diximus cauſa, præcipua doloribus tuis conſolationis unguenta porrigimus; ut cum ejusdem filii tui defuncti vivat in noſtri cordis ſcrinio etiam carne (9) deficiente memoria, & turpe ſit in prudente viro conſolationis remedium præſtare laſſitudo dolendi, modum fundendis lachrymis adponere ſtudeas, & cauſam (10) in nobis conſolationis aſſumas, &c.

Cap. V.

Literæ conſolationis comiti Caſertano, lugenti de morte Epiſcopi fratris ſui.

Audito nuper quod mordentis omnia mortis impietas N. Venerabilem Theath. Epiſcopum [fratrem tuum fidelem noſtrum

(4) *jaculo* abeſt. (5) *& qualitas* l. æqualitatis. (6) *ratione* l. matre. (7) *firma* l. firmæ. (8) *ſuperante terrore* l. ſuperare terrorem. (9) *carne* abeſt. (10) *cauſam* l. modum.

ſtrum 1] tibi nunc ad præſentiam noſtram venire parato, non ſine plurium detrimento ſubtraxit, paſſionibus tuis ſatis affectuoſe compatiendo doluimus, & ſi (2) ope vel opibus recuperari defunctum, aut alia compaſſione redimi natura permitteret, noſtra propterea (3) libenter aperuiſſemus æraria, & alia quælibet opportuna ſubſidia miſiſſemus. Sed quia quod ſemel ſubripuit mors debitrix (4), mors amara non reddit dolori tuo, quem multi tecum libentiſſime partirentur (5), conſolationis argumenta porrigimus, & gratiæ noſtræ remedia propinamus. Devotioni tuæ mandantes, quatenus aſtringas lachrymas, refrenes ſuſpiria, & more conſtantis viri, triſtitiæ limites (6) provide nobis placiturus imponas.

Cap. VI.

Comiti Acerrarum, conſolando eum de morte filii ſui cadentis in bello.

QUod de nimis acerbo filii tui caſu conſolationis noſtræ verbum ad te tarde pervenerit, cauſa fuit, ut tibi tempus ad lachrymas laxaremus, ſuſpirantibus namque gemitibus, & oculis lachrymoſis epiſtolam noſtræ conſolationis offerre voluimus, quam & lachrymarum continua gutta perfunderet (1), & edu-

(1) [ ] deſunt. (2) *ſi* l. ſic. (3) *natura permitteret noſtra propterea* l. potuiſſet natura. (4) *debitrix* l. debitis. (5) *partirentur* l. partiremur. (6) *triſtitiæ limites* deſunt. (1) *perfunderet* l. profunderet.

& eductio copioſa ſingultuum perlegi prohiberet (2). Doloris quidem præteriti tumulum, quem nati funus inviſum in patre congeſſerat (3), luctus expreſſione providimus diſgregandum, quem (4) noſtra monitio (5) retentum intrinſecus vehementius ampliaſſet, ſi foras educi triſtitiam (6) per lachrymas vetuiſſet (7). Nunc igitur mitigatis ſuſpiriis, & oculorum luminibus excolatis, literas noſtræ conſolationis offerimus, tractabilem animum & vulnus apertum medicamine debitæ perſuaſionis aggredimur, & cum tibi per amaritudinem luctuum ſatisfeceris hactenus, per depoſitionem lugubrium ſatisfieri gratiſſime poſtulamus & nobis. Quod ſi luctuoſæ (8) famæ volatum, quo (9) nihil inundatione malorum (10) poſſet eſſe celerius, præſens epiſtola noſtræ conſolationis anticipet, quæ punctura doloris nervum cordis intactum inveniat, & virgineos oculos nondum paratos (11) ad diluvia lachrymarum, naturæ (12) partes implere te ſinimus, dum prohibere nequimus, & nobis placere te volumus, dum conveniens poſtulamus. Scimus enim quod per quam dura (13) requirimus, ſed tamen poſſibilia flagitamus: nam à mane plorabis usque ad veſperam, florem occiduum, & aridam ſegetem ante tempus æſtatis,

(2) *perlegi prohiberet* l. prohibetur. (3) *congeſſerat* l. cognoſceret. (4) *quem* l. quæ. (5) *monitio* l. monitis. (6) *triſtitiam* l. triſtitia. (7) *vetuiſſet* l. nocuiſſet. (8) *luctuoſa* l. luctuoſus luctuoſæ. (9) *quo* abeſt. (10) *malorum* l. multorum. (11) *virgineos oculos nondum paratos* l. urgeat oculos. (12) *natura* abeſt. (13) *quam dura* l. quadratura.

æſtatis, occaſum ſolis ante meridiem, & noctis caliginem ante diem: ſic & juvenem nondum fere puberem, potius intempeſtivæ mortis ſubiiſſe judicium, [quam ſenectutis judicium 14] adveniſſet. Turbato denique mortalitatis ordine, pater pro filio lachrymas offers, quas pro te filius reſervabat. Veſpertina tandem hora reſume noſtræ compaſſionis antidotum, & conſolationis affectum. Nos enim in tam ſubito filii tui caſu compunctionis paternæ conſortio non caremus, utpote qui ad eundem à te naturaliter genitum & vix adhuc matris uberibus ablactatum, in ulnas eductionis noſtræ ſuſcepimus, & quia ſuſceptibilem ipſum invenimus diſciplinæ, virtutum in eum rudimenta congeſſimus, ut ſibi eſſet conſpicuus, aliis utilis, & nobis exiſteret fructuoſus. Nunc autem cum de plantatione noſtra vindemiam caperemus decerpere, generationis humanæ novacula, vitæ telam in homine, quam nondum natura perfecte texuerat, intempeſtive præcidit. Sed & affectum conſolationis dominicæ gratum accipias, quem veluti de communi triſtitia, per nos qui tibi miſerabiliter condolemus, potes & debes aſſumere gratiorem. Juſte (15) dolere te novimus, quod in nati funere, pomum de vitæ pomerio natura decerpſit, ſpatio temporis immaturum: conſolari te volumus, quod illud ante tempus debitum virtutum irrogationibus (16) acceperit maturatum. Juſte dolere te novimus, quod morientis filii (17) clau-

(14) [ ] deſunt. (15) *juſte* l. juſte quidem. (16) *virtutum irrogationibus* l. nec tutum irrigationibus. (17) *morientis filii* l. non mortui filii.

clauſeris oculos, conſolari te volumus, quod non inter molles delicias, & debiles curas defecerit languidus, ſed inter noſtrorum obſequiorum occupationes ceciderit ſtrenuus, & vixerit glorioſus. Quid plura? Juſte dolere te novimus quod unicum quem habebas amiſeris filium, conſolari te petimus in duorum propagatione nepotum: & nos gratiæ noſtræ zelum, quem ad patrem ab avo produximus, tanto propagabimus libentius ad nepotes, quanto noſtræ Serenitatis affectum & patris & avi ſervitia meruerunt.

Cap. VII.

Literæ conſolationis, miſſæ ſcholaribus de morte magiſtri Bernhardi (1).

VAgientibus (2) adhuc in cunis (3) artis Grammaticæ. Quia materia ita ſe habet, quod ab amaritudine ſumit exordium, nec doloroſa poſſunt ſine animi turbatione (4) notari, non miremini ſi anxietate quadam, & ſingultuoſa narratione vobis ſcholaribus, qui inhabitatis orbem à mari uſque ad mare, præcipue filiis, quos in dolore peperit mater Grammatica: dura nimis & amara præſentibus nunciamus. Eſt enim, quod non ſine dolòris aculeo dicimus, Grammaticæ artis noviter extincta lucerna, deſiccatus eſt fons irriguus, frugifer Euphrates, magiſter Bern-

(1) *Bernhardi* l. Benedicti. (2) *vagientibus* l. vagantibus. (3) *cunis* l. tantis. (4) *animi turbatione* l. cauſſa turbationis.

Bernhardus (5), qui non ab infimo poſitivo, ſed ſuperlativo nomen meruit derivari: videlicet cum ſupra ſe nullum habuerit aſcendentem, imo ſicut aquila tranſcendens omnia genera pennatorum, vir potens in opere & (6) ſermone, avis in terris rara, ſine pluralitatis conſortio dici meruit ſingularis. Ad cujus tranſitum, quaſi ſole petente (7) occaſum, tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam faciem terræ. Nam [ipſe ſolus de tenebroſis & confuſis Priſciani tractatibus educens 8] lucem, purgavit tenebras, ipſeque veterem & antiquum reformavit apoſtatam, Donatiſtam compeſcuit: & quaſi de culmine montis Synai, alter Moyſes legifer à Deo & non ab homine, ſibi ſcriptam Grammaticam hominibus reportavit. Verum ſub tanto & tali artifice non ſolum prima, ſed dolorem artes cæteræ patiuntur. Unde quid facient parietes ſi corruerit fundamentum? quid infelix Grammatica orba parente ſuo? de quo completum eſt illud verbum propheticum: Vox in Rhama, hoc eſt, in excelſis eſt audita, ploratus & ululatus, Rachel plorat maritum ſuum, & non eſt qui conſoletur eam, ex omnibus charis ſuis. Nam quis ſimilis ſibi? Utinam ſuſcitaret Dominus ſpiritum ſuum per aliquam phitoniſſam (9) ut loqueretur nobis ad tempus magiſter magiſtrorum ille doctiſſimus, qui ducebat animalia in ſtuporem. Verum quia omnes morimur, & ſicut aquæ quæ non revertun-

(5) *Bernhardus* l. Benedictus. (6) *opere &* deſunt. (7) *petente* l. potente. (8) [ ] deſunt. (9) *phitoniſſam* l. Phyroyſicam.

tuntur dilabimur, teſtante Philoſopho, crudelitatem facti (10) æqualitas conſoletur, mœrore depoſito: & qui talem & tantum dilexiſtis autorem, ad cujus exequias concurratis (11) orantes pro illo doctore mirabili, qui à mane usque ad veſperas clamavit ſicut pullus hirundinis, & ut columba meditatus eſt ponendo animam pro ſcholaribus, docendo deſiit & docuit deſinendo &c.

Cap. VIII.

Eisdem, de eodem, facta mentione de quodam alio magiſtro præmortuo.

SEdentibus ſuper aquas amaritudinis, & in ſalicibus organa ſuſpendentibus, Neapolitani ſtudii doctoribus univerſis, magiſter Petrus ſolamen ſ. Spiritus, & illam quæ omnem ſenſum exuberat pacem Domini noſtri Jeſu Chriſti. De ſeculo nequam & valle miſeriæ, ad ſcholas florentis patriæ, ubi garrulitatis (1) improbæ nullus auditur tumultus, illius vocatione, cujus Imperium in cœlo & in terra, & in omnibus extenditur creaturis, Grammaticorum eximius conſocius noſter & confrater, magiſter G. noviter evocatus, ab oculis noſtris pertranſiit velut umbra, imo evanuit. Ad cujus tranſitum ſtudii Parthenopenſis (2) obſcuratus eſt ſol, & luna everſa eſt in eclipſin. Nam ars Grammaticæ

(10) *facti* l. fati. (11) *concurratis* l. concurramus. (1) *ubi garrulitatis* l. garrulantis. (2) *Parthenopenſis* l. per thelope.

maticæ quæ ſine vocabulo deſignatur, privata decoris radiis ſedet in tenebris, & non habet unde poſſit ſuum recreare (3) dolorem, duobus maritis tam modico tempore viduata. Nondum præcedentis doloris ſanata ſunt vulnera, [& ſic calamitati calamitas, & tempeſtas adjicitur tempeſtati, dolor doloribus & vulneribus vulnera 4] inferuntur: mirum (5) non modicum hic eſt ordo præpoſterus & turbatus, quia naturaliter magiſtrum diſcipulus, hic (6) autem magiſter eſt diſcipulum ſubſecutus: & hoc ideo quia mortis irregularitas de ſuo more perverſa, pervertit ordinem, quæ præponenda poſtponit, præponit econtrario (7) poſtponenda: proh dolor, vitis frondoſa quæ ſubito aruit, cujus fructus exuberavit ad plenum. Nam in multitudine filiorum, quos genuit, indefeſſus ille uterus magiſtralis intumuit, prævaluit, & tanquam cedrus Libani ſuperexcrevit, cui non ſunt adæquatæ virgulæ de deſerto. Ipſe quidem fuit alter Joſeph, cui omnes inviderunt parentes, quem ſæva beſtia devoravit, videlicet mors, quæ per aphæreſin (8) cunctis aufert mortalibus caput, à membris dividit & recidit. In cujus deciſione vos qui floretis in cathedris tanquam multorum capita plena oculis retro reſpicite, & ante (9) diligenter attendite, quantum tenuis & fragilis gloria ſecularis, quæ eſt (10) quidam vapor ad modicum durans, velut

(3) *recreare* l. reiterare. (4) [ ] deſunt. (5) *mirum* l. nimirum. (6) *hic* l. nunc. (7) *econtrario* l. neceſſario. (8) *aphæreſin* l. antiſtraſin. (9) *ante* deeſt. (10) *quæ eſt* l. quaſi.

lut fœnum agri, quod mane floret, & veſpere decidit & areſcit. Ad tutelam igitur, agitur (11) per illam ſyncopam à qua nullus Grammaticus excuſatur, ſtatum & tranſitum reciprocantes in vobis, unum efficax per locum à ſimili in vobis colligite argumentum, ſimiliter illud iter currere, quod noſter ſocius percurrit (12) cum de ſimilibus idem judicium habeatur.

Cap. IX.

Eiſdem, de morte Jacobi Baldevvini (1).

JUris civilis profeſſoribus univerſis magiſter Petrus ſalutem & attendere ultimum ante primum: amaritudo amariſſima, & (2) materia concreta doloribus humanis, noviter mentibus occurrerunt. Nam unicus & ſingularis in terris homo, in quo velut in ſuo proprio leges convenerant, & vivebat eloquentiæ tuba, & conſilii plenitudo ſedebat [eſt revocatus ad patriam, de cujus revocationis amaritudine 3] vox populi à fine usque in finem, [& terminos orbis terræ doloroſa multum exivit, nec mirum, quia jam 4] optimus perſuaſor bonorum operum omnium excellentiſſimus Jacobus de Rogio (5) Jeſu Chriſto ſpiritum reſignavit, attritus eſt nimium derepente gloria vultus ejus, de cujus occaſu non ſolum Lombardia ſole privata ſuo, verum etiam

(11) *igitur agitur* l. agri. (12) *percurrit* l. præcurrit. (1) *Jacobi Baldevvini* l. Magiſtri Jacobi Balduini. (2) & l. in. (3) [ ] deſunt. (4) [ ] deſunt. (5) *Rogio* l. Regio.

etiam maxima pars viventium, continuis lachrymis ingemiſcit, & doloris gladius multorum animos perforavit. Nec immerito, cum ipſe dominus legifer & ſupremus deſcriptis (6) juris apicibus ſenſus reformaret informes, & adhuc viventes viventia ejus opera non deſinunt informare. Qui licet ut homo deſierit (7), non tamen deſiit ut magiſter, quia mortuus ipſe docet, quantumcunque ſit appellatio mortis difficilis, violenta, & (8) neceſſaria [difficilis, quia non eſt ibi ſolutio violenta, quia reſiſtentia nulla: neceſſaria 9,] quia ex modo neceſſitatis omnem ſuperat ſyllogiſmum, exceptiones non recipit, dilationes aliquas non admittit. Verum quia mirabilis eſt iſta regula mortalium, quæ nunquam fallitur, ſed omnes fallit, fallentia videlicet veridica, quæ in credentia non habetur. Ipſa quidem eſt nequitiæ nebula, triſtitiæ genitrix, diffuſio lachrymarum, univerſæ carnis exterminium, & ſingularium deſtructiva. Ideoque viri prudentes in doctore mortuo prudenti addiſcite, quicquid poſſit, & quantum fortior (10) exterminantis angeli: & diligenter attendite, quod legum facundia vel aliquarum ſcientiarum doctrina, mortis imperio non reſiſtit.

(6) *deſcriptis* deeſt. (7) *deſierit* l. deficeret. (8) *violenta &* l. violentia. (9) [ ] deſunt. (10) *fortior* l. fortis.

Cap. X.

Mater ſignificat mortem filii ſui magiſtro Petro, & recommendat alios filios ſuos ſibi.

TEtigit me domini manus, & apprehendit me indignatio iræ ſuæ, ut quæ fueram viri ſolatio deſtituta, præmatura mors filii viduam iterum viduaret. Ideoque duplici contritione contrita, ſingulare quæro in vobis dolori meo remedium: diſcretioni veſtræ me fiducialiter recommendans. Ad hæc ſciatis, quod Nicolaus futurus gener veſter (1), qui per Dei gratiam reſtitutus eſt plenariæ ſanitati, ita, quod in naturali pallore ab ejus facie recedente, incœpit finaliter ſibi fieri ſanus color. Præterea quia credo vos paterna proviſione proſequuturos negotia domus meæ (2), non porrigo vobis preces ſuper aliquo (3) ſpeciali: ſed ut generaliter quid expediat providentes, filios meos & filias habeatis recommendatos in omnibus ſicut pater.

Cap. XI.

Reſponſiva ad præcedentem, conſolando eam.

NObili mulieri Dominæ Elizabeth (1) Petrus de Vineis ſalutem & conſolationem quam poteſt & debet. In præmaturo filii tui caſu, quo percuſſa doles, & ſauciata triſtaris, impleas naturæ debitum, ſed divinæ correctionis imperium non contemnas. Nec tamen

(1) *veſter* l. noſter. (2) *mea* l. noſtræ. (3) *aliquo* l. H. ab eo. (1) *Elizabeth* deeſt.

tamen usque adeo, licet intus efferveat, exaggeratus ſit (2) dolor, ut contra Deum provocata, quodammodo videaris te vindicare velle cum lachrymis, & irata cum judice potius expoſtulare (3), quam correcta credaris, cum (4) habeat Dominus quod clamanti reſpondeat, & habeat conſolator qui offerat lachrymanti. Nam ille qui ſuum communi ratione repetiit, iſte dilectionis maternæ conſolamen, ſuperſtitum tibi conceſſit ſufficientem numerum filiorum. Ad quorum omnium bonum, me libenter & hilariter offero (5), affectione paterna ſolicitum, & amica proviſione fidelem in poſterum reſervabo (6): quorum unum ſi conceſſerit dominus natura futurum mihi (7) promiſit filium & agnatio reliquos filialis affines.

Cap. XII.

Conſolatur patrem de morte filii ſui decedentis in ſervitio Cameræ.

QUod filium tuum Angelum de Morra, fidelem noſtrum, ad ſervitium Cameræ noſtræ vocavimus (1), approbata fides ejus, & induſtria circumſpecta, quam habuit in ſervitiis noſtris (2), benevolentiam noſtram attentius induxerunt. Quod autem ad præſentiam noſtram nuper veniens, infirmitate (3) præventus, à Domino ſicut ei placuit, ſit vocatus,

b 3

(2) *ſit* l. eſt. (3) *expoſtulare* deeſt. (4) *cum* l. præſertim cum. (5) *& hilariter offero* deſunt. (6) *reſervabo* l. præſervabo. (7) *mihi* l. nihilominus. (1) *vocavimus* l. novimus. (2) *in ſervitiis noſtris* deſunt. (3) *infirmitate* abeſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

catus, carere ſervitio & perſona ſua dolemus, tibi nihilominus condolentes qui bonum de ipſo filium (4) amiſiſti. Sed cum divinæ voluntati reſiſtere nemo poſſit, & revocari nequeat quod vocavit, & ſi ſuper obitu ejuſdem filii tui prohibere tibi lachrymas non poſſimus, utpote qui mutato ordine ad fata pervenit, à quo ſperabas ſi rectus ordo procederet ſepeliri: moderationem tamen tuis juſtis motibus de favorabili gratia imponere ſuademus, ad te, domum tuam, & filios (5) favorem ad eum habitum convertentes: ut modeſtia in doloris vehementia obſervata, poſſis in noſtra gratia confidentius reſpirare, maxime quod ad ſervitia noſtra vocatus, finem in Curia noſtra laudabilem conſummavit.

Cap. XIII.

Magiſter Petrus conſolatur matrem, fratres, & ſorores ſuas de morte patris ſui.

EXpectabam filiali zelo de domo paterna recipere nova ſalutis & gaudii, quibus recrearetur animus caſtrenſibus negotiis occupatus. Ineratque mihi ſolicitudo continua, aliquem de compatriotis meis videre nuncium bonum de regione longinqua, qui vitam parentum doceret filium, de ſalute conjugis, & natorum, patris lætificaret affectum. Meam verumtamen expectationem, mœſtus patris funeris rumor adveniens vehementius conturbavit, expectata ſuſtulit gaudia, meque totum dedit

(4) *de ipſo filium* l. de eo conſilium. (5) *filios* l. filios tuos.

dedit fletibus & lamentis. Dolebam enim per quem exiſtentiam ſumpſi patrem (1), meis votis ademptum, ſed juſti cauſa doloris mea viſcera retorquebat, quod ubi creditrix natura maturatos dies ſuos breviare diſpoſuit, patri non aſſiſterem in ultimis laboranti, ut migraturum patrem filiali aſpectu (2) reficerem & qui paternæ ſenectutis baculus fueram, paternum extremæ munus benedictionis accipiens, pias patris obeuntis manus ſupra caput meum flebili devotione tenerem: ac deinde paterno feretro matris (3) prævius exequiis ejus filius obſequioſus adeſſem. Cumque non fuerit hoc permiſſum, ut matris fletibus una cum conjuge & filiis ſociarer, auditis tamen curſus paterni rumoribus, effuſis lachrymis & corde turbato defuncti animam orationibus piis amplectens in eleemoſynarum (4) erogatione, Domino commendavi, vacans interim lachrymis & mœroribus, donec per dominos & amicos meos piis monitis revocatus, in vita ac ſalute noſtra potiſſime reſpirarem, dum mihi (5) fuit recta (6) moderatione propoſitum quod ſecundum ordinem & beneficium naturæ, pater utroque ſuperſtite filio, viſiſque filiis filiorum, exigente maturitate temporis, in manibus veſtris, conjuge meiſque filiis pro me patre præſentibus, in quibus meam poterat imaginari præſentiam, diem clauſit extremum, bonum poſt ſe famæ teſtimonium relinquens, & ſecum gerens individuos comites, bonorum teſtes operum, quæ

 patra-

(1) *patrem* abeſt. (2) *aſpectu* l. affectione. (3) *feretro matris* l. freto maris. (4) *eleemoſynarum* l. Eccleſiarum. (5) *dum mihi* l. nihil. (6) *recta* l. cetera.

patravit ab infirmitate continua quam paſſus fuerat transmigrando. Verum, quia me decet una vobiſcum ſuæ animæ reminiſci, & conſolationem adinvicem in Domino reportare, fraternitatem veſtram, maternitatem, & ſororiam dilectionem deprecor & exhortor (7), quatenus tu mater una cum filiis, tuisque nepotibus, quorum omnium vitam apud Dominum tuis procures orationibus & ſalutem, in Domino conſoleris: ut vos quoque frater & ſoror, qui tua poſt patris obitum benedictione fovemur, mœrore depoſito, qui nullam defuncto videtur utilitatem afferre (8), & nobis ſuperſtitibus ſalutis, poſſet impedimenta præſtare, ac anxietatem renovare continuam, alterna recreatione conſolationis ornamenta ſumamus: ut hinc inde mutuis literis aura confortationis aſpiret, & in domo noſtra (9) omnium dolore ac luctu remotis, optata vigeant communis auſpicia ſoſpitatis.

Cap. XIV.

Conſolationis literæ ad affines, de morte cognati ſui.

SOcero & ſocrui ſuis L. & dominæ A. (1) P. de Vineis &c. Cum pervenerunt ad audientiam meam nova de obitu N. dilecti filii veſtri, cognati mei, tactus dolore cordis intrinſecus dolui & condolui valde vobis: utpote qui bonum de ipſo fratrem amiſi, & lumen

(7) *exhortor* l. exoro. (8) *videtur utilitatem afferre* l. voluntatem offerre. (9) *in domo noſtra* l. inde domino noſtro. (1) *A.* l. A. notarius.

lumen oculorum veſtrorum à luminibus veſtris anxior in eo fuiſſe ſublatum. Flevi quoque præ dolore nimio, quod oculi mei faciem lachrymis maduerunt, quod uxori & filiabus meis tam dilectum collateralem deceſſiſſe cognovi, qui (2) abſentiam meam una vobiſcum commorans (3) ſupplere poterat ad conſortis meæ ſolatium & natorum. Continuatis ergo ejus memoria diebus pluribus fletibus & dolore, vidi quod fruſtra dolebam & quod redimere non poteram mortuum effuſione continua lachrymarum, meditatus potius ipſe mecum, quod cum ſortis humanæ debitum ſolverit, licet fatali caſu, & mutato ordine parentum vota turbaverit, & dies nequiverit protrahere longiores ſui memoriam, quam ſors amara (4) peremit communibus dimiſit interceſſoribus adjuvandam: ut cujus vita nos carere contigit, pro eo teneamur ut vivat potius [orare, quam flere. Venit enim vobis & mihi, filii veſtri, quem ſortis affinitas mihi charum fecit, mors 6] ipſius potiſſimum deploranda, quod ſe dulcibus annis immiſcuit, & juventutis florem morſu diro præſcidit. Quia vero diſpoſitioni divinæ obviari non poteſt, & animam ejus debemus & poſſumus eleemoſynis potius quam lachrymis adjuvare: cum nec nos deceat in dolore modum excedere prætaxatum, ne nomen Domini qui dedit & abſtulit exaſperari contingat, ſupervacuis in tabeſcendo (7) doloribus. Quanquam non poſſim paternum & maternum

 in

(2) *qui* deeſt. (3) *commorans* abeſt. (4) *amara* l. humana. (5) *dimiſit interceſſoribus* l. dimiſſis interceſſionibus. (6) [ ] deſunt. (7) *tabeſcendo* l. caleſcendo.

in diſceſſu tam dilecti filii revocare dolorem, quem veſtræ ſperabatis dimittere ſuperſtitem ſepulturæ: audeo tamen filiali vobis devotione ſuggerere, quatenus vobis, mihi & uxori ac filiabus meis quæ veſtræ ſunt, paterno conſulentes affectu, quantum propter ſortis humanæ debitum, & labilem conditionem mortalium, mœrorem veſtrum moderari poteſtis, veſtræ ac noſtræ velitis providere ſaluti: cum in ſuperſtitis (8) [filio, filia & nepotibus veſtris me quoque, qui vitam & conſolationem 9] veſtram plus filio, ſi dicere liceat, diligo & affecto, poſſitis plenarie conſolationem accipere pro defuncto: quem ſi modo quolibet redimere valeremus, non parceremus laboribus aliquatenus vel perſonis. Sed ubi à nobis irrevocabiliter eſt ademptus, & orationum noſtrarum auxilia præſtolatur, in ſuperſtitibus conſolatione recepta ſuſpiria, & fletus veſtros ad orationum ſubſidia convertatis: illud inter humana deſideria ſolatium habituri, quod pro honeſto ſui geſtu & continentia, per quam ſe omnibus præſtitit diligendum, bonam ſui recordationem poſt facta dimiſit.

Cap. XV.

Literæ doloris de morte regis Joannis, & quod duo filii ipſius deducantur ad ejus præſentiam (1).

GRavis admodum & moleſtus rumor nobis occurrit, de obitu illuſtris regis Johannis quondam dilecti ſoceri noſtri, noviter

(8) *ſuperſtitis* l. ſuperſtite. (9) [ ] deſunt.
(1) *lege* Literæ conſolatoriæ ad quendam de morte cujusdam. *Male.*

viter nunciatus, nec abſque maxima potuimus animi turbatione tranſire, quod in ſtatu minus proſpero contigerit infortunium mortis ejus. Erat enim noſtri propoſiti ſicut tibi credimus non ignotum, ſi ulteriorem dierum terminum ſibi Dominus indulſiſſet, ipſius nobiſcum habere præſentiam, ut ſuo provideremus ſtatui condecenter. Sed quia, ut (2) Domino placuit, noſtro deſiderio eſt ſua vita ſublata, propoſitum quod ad ipſius honorificentiam puro compatiebamur affectu convertere volumus ad commoda filiorum. Quia igitur duos filios ſuos, quos audivimus eſſe Venetiis, nobiſcum volumus habere præſentes, mandamus devotioni tuæ, quatenus ita ſtudeas ordinare, quod eoſdem pueros habeas & ad præſentiam noſtram ducas, erga quorum educationem pariter & profectum paternam nos gerere volumus voluntatem.

Cap. XVI.

Literæ conſolatoriæ ad quendam de morte filii ſui (1).

CAſus filii tui, quem ſublatum de medio quorundam noſtrorum fidelium relatione perpendimus, ad compaſſionem (2) doloris qui paternum pectus everberat, Serenitatis noſtræ clementiam invitavit. Calamitoſo igitur, & tibi & ſuſpiriis doloroſis benigne compatimur, & doloribus tuis miſericorditer condolemus, tanquam qui à natura innatum parentibus amorem ingenitum erga genitos novimus,

(2) *ut* l. non. (1) deeſt inſcriptio. (2) *compaſſionem* l. compunctionem.

vimus, & acerbitatem ſortis contrariæ ſævientis in liberos nullatenus ignoramus. Oritur namque ex nimia dilectione, doloris immenſitas, ſub qua ponentes (3) [gemitus frequentius defecerunt, niſi neceſſario conſolationis remedio leniantur 4]. Prudentes tamen ſe ad majorum exempla convertunt ſi liberos amiſerunt, & poſt datas lachrymas funeri, dolore depoſito, ad compaſſionem animi ſaucii viriliter intenderunt: & illud potiſſime attendentes ex mortali immortale generari non poſſe, nec ex vite corrupta palmites (5) incorruptibilis procreari (6). Præterea quis ignorat morte mortales deficere? quis non novit quod mors omnia tollit, omnia morte cadunt? quæ dum per cœtus (7) mortalium indiſcreta vagatur, aliquando parentum votis, qui liberos optant habere ſuperſtites, effectum tribuit, aliquando eorum precibus aures non exhibens (8), mactat intrepide liberos ante oculos genitorum. Senes velut eorum oblita præterit, non verens in pueros & juvenes laſcivire. Quapropter fidelitatem tuam requirimus & hortamur attente, mandantes quatenus in his & aliis quæ velut diſcretus ad levamen tuæ calamitatis agnoſcis, ſpiritum conſolationis aſſumas, lachrymis & gemitibus, quibus non viriles ſed enerves & molles muliebrium animi intabeſcunt, de cætero nullatenus vacaturus.

FINIS LIBRI QUARTI.

CAPI-

(3) *ponentes* l. ponentes levantur. (4) [ ] deſunt.
(5) *palmites* l. palmis. (6) *procreari* l. procreatur.
(7) *cœtus* l. actus. (8) *exhibens* l. exhibitis.

CAPITA LIBRI QUINTI
Epiſtolarum Petri de Vineis.

Commiſſio vicariæ cum gladii poteſtate. *Caput* I.

Capitaneo regni, ut procedat ad vindictam cujusdam proditoris. *Cap.* II.

Juſtitiario regni, ut procedat contra homicidas. *Cap.* III.

Fidelibus ſuis, ſuper inquiſitione facienda contra officiales. *Cap.* IV.

Juſtitiario, ut procedat ad ſubventionem novi militis, juxta priorum continentiam literarum. *Cap.* V.

Eidem de refectione cujusdam pontis. *Cap.* VI.

Item eidem, ſuper eodem. *Cap.* VII.

Eidem, ut non diruat domos proditorum, eo quod infert damnum fidelibus. *Cap.* VIII.

Cuidam Juſtitiario, ut puniat villicum, qui domini ſui corrupit pediſſequam & uxorem. *Cap.* IX.

Pulchrum exordium ſuper inquiſitione facienda. *Cap.* X.

Eisdem, ut puniantur devaſtantes ſegetes noctis tempore. *Cap.* XI.

Eisdem ut reformetur pax inter minores & majores. *Cap.* XII.

Eidem, ut ponantur inſidiæ ad capiendum proditorem. *Cap.* XIII.

Reſponſiva ad præcedentem. *Cap.* XIV.

Eidem,

Eidem, ut procedat contra exactores ultra debitum. Cap. XV.
Juſtitiariis Terræ laboris, de colligenda pecunia pro maritagio filiæ ſuæ. Cap. XVI.
Abbati & Conventui monaſterii cujusdam, ut recludant feneſtras propter aſpectum ſecularium. Cap. XVII.
Juſtitiario, ut compellantur redire ad inhabitandas terras ſuas illi, qui pro vitandis collectis fraudulenter fugierunt ab eisdem Cap. XVIII.
Eidem, ut manu teneat & defendat illos quos & quorum bona, ſub Imperiali protectione ſuſceperat. Cap. XIX.
Conſtitutio contra devaſtantes hortos & vineas. Cap. XX.
Cuidam Abbati, ut compeſcat fratres diffamantes confratrem ſuum, in ſuo ſervitio exiſtentem Cap. XXI.
Cuidam Abbati, de quodam monacho falſario. Cap. XXII.
Juſtitiario, ut faciat provideri cuidam exiſtenti in ſuo ſervitio, juxta priorum continentiam literarum. Cap. XXIII.
Cuidam, ut non faciat repræſalias contra Tudertinos, ſed alleget jus ſuum in Imperiali curia ſi quod habet. Cap. XXIV.
Quod reſtituatur pecunia mutuata. Cap. XXV.
Contra illos qui turbant aliquem in ſua poſſeſſione. Cap. XXVI.
De cauſa appellationis ſuperiori committenda ſuper criminalibus interjecta. Cap. XXVII.

Man-

Mandat ut provideat ſuper intercluſa petitione Cap. XXVIII.

Reſponſalis Friderici cum commendatione ſollicitudinis. Cap. XXIX.

Item reſponſalis ad illud. Cap. XXX.

Ut reſcribat quid expediat ſuper nunciato ſibi negocio. Cap. XXXI.

Quod aliquis miles recipiatur ad Curiæ ſtipendia. Cap. XXXII.

Quod moneantur Piſani quod deſiſtant à moleſtiis regnicolarum. Cap. XXXIII.

Concluſio ſuper proceſſu ad Curiam deſtinando in cauſa appellationis ſuper criminalis condemnatione. Cap. XXXIV.

De ſalariis poteſtatum, in approbata forma. Cap. XXXV.

Alia forma ſuper eodem negotio poteſtati terræ. Cap. XXXVI.

De ſecuro conductu ſine termino & conditionibus. Cap. XXXVII.

Quod provideatur cuidam presbytero de vacantibus proventibus. Cap. XXXVIII.

Quod daciæ vel collectæ non auferantur ab his, qui in ſervitio Curiæ commorantur. Cap. XXXIX.

Quod hi qui in ſervitiis Curiæ commorantur, in familia ſeu rebus ſuis nullatenus moleſtentur. Cap. XL.

Capitaneo, ut fiat inquiſitio de quodam qui dicitur fidelis, captę inermi inter infideles. Cap. XLI.

Eidem

Eidem contra eum, qui ſervitiis Curiæ, infeſtum ſe exhibet & moleſtum Cap. XLII.
Concluſio ſuper inquiſitione facienda de conditione potentum. Cap. XLIII.
Cuidam communitati, ut credat nunciis ſuper eo quod dat eis arbitrium de ſuo regimine. Cap. XLIV.
Ut reſtituatur poſſeſſio deſtituto, in ſervitiis Curiæ commoranti. Cap. XLV.
Capitaneo de proceſſu mittendo & citatione facienda. Cap. XLVI.
Mandat cuidam ut doceat quid expediat de liberatione quorundam. Cap. XLVII.
Concedit licentiam quibusdam mercatoribus faciendi præſalias contra rebelles, qui eos diſrobarunt. Cap. XLVIII.
Concedit literas ſecuritatis quibusdam mercatoribus ſub certis conditionibus. Cap. XLIX.
Concedit nobili mulieri tutrici filiorum, quod poſſit conſtituere procuratorem in cauſa ſua. Cap. L.
De ſecuro conductu extra communem formam. Cap. LI.
Reſpondet cuidam nobili, & commendat proceſſum ipſius. Cap. LII.
Capitaneo, ut quasdam ſuas literas mittat ad alias partes. Cap. LIII.
Eidem ut citentur ad Curiam, qui injuſte Caſtrum occupaverant aliorum. Cap. LIV.
Eidem, de captivis liberandis, juxta priorem continentiam literarum. Cap. LV.
Pote-

Poteſtati Piſanorum, ut cogat quendam ad reſtitutionem depoſiti muli. Cap. LVI.
Capitaneo, ut nunciet quid ſit faciendum ſuper excontro quorundam obſidum. Cap. LVII.
Capitaneo commendat eum qui cepit quendam rebellem. Cap. LVIII.
Eidem, & ſuper eisdem. Cap. LIX.
Eidem ut provideat cuidam fideli de aliquo regimine. Cap. LX.
Capitaneo ſignificat quod reſpondeat petitis per nuncium. Cap. LXI.
Eidem, & recommendat eum de parato exercitu, & hortatur eum de procedendo. Cap. LXII.
Eidem reſpondet ad transmiſſa. Cap. LXIII.
Eidem ut fiat inquiſitio de clandeſtinis damnis illatis cuidam viduæ. Cap. LXIV.
Eidem, de procuratore ordinando qui jura Curiæ tueatur, in cauſa quam ſibi committit. Cap. LXV.
Capitaneo, ut mandet executioni ſententiam, ſicut rationabiliter eſt prolata. Cap. LXVI.
Eidem de ſolvendo ſalario conſueto Poteſtati per Commune. Cap. LXVII.
Exordium de recommendatione fidelium. Cap. LXVIII.
Capitaneo, ut emendet equum, quem quidam fidelis ſuus perdidit in bello. Cap. LXIX.
Reſpondet cuidam nobili ad transmiſſa, & dicit quod equos non vult ſibi dare. Cap. LXX.
Friderico de Antiochia, ut aſſignet vicariam cuidam quem ipſe præfecit in Capitaneum. Cap. LXXI.

Hominibus cujuſdam Capitaniæ, ut obediant fideliter Capitaneo ſupradicto. Cap. LXXII.

De commendatione fidelium & gratia facienda. Cap. LXXIII.

Cuidam nobili, commendatio de fidelitate. Cag. LXXIV.

De fidelium commendatione, cum promiſſione beneficiorum. Cap. LXXV.

Exordium de remuneratione fidelium in filios facienda. Cap. LXXVI.

Capitaneo ſignificat quod miratur, quod non ſignificavit ſibi proſpera nova de partibus illis. Cap. LXXVII.

Eidem ut faciat reſtitui bona diſrobatis ſupra mare. Cap. LXXVIII.

Cuidam nobili, commendatio de fidelitate. Cap. LXXIX.

Capitaneo, ut captivum qui præſtitit fidejuſſoriam cautionem à carcere liberet, reſtitutis ſibi bonis ablatis. Cap. LXXX.

Eidem committit ut appellationem infirmet vel confirmet. Cap. LXXXI.

Fidelibus, confortans eos in fide, & ut credant nuncio. Cap. LXXXII.

Cuidam nobili, de eodem. Cap. LXXXIII.

Capitaneo, ut cauſam appellationis & proceſſum debeat ad Curiam deſtinare. Cap. LXXXIV.

Eidem, ſuper gratia conceſſa cuidam monaſterio de laborandis quibuſdam terris. Cap. LXXXV.

Laborandis, id eſt, arandis atque ferendis.

Capitaneo, ut certam quantitatem pecuniæ ſolvat

vat annuatim cuidam fideli ſuo. Cap. LXXXVI.

Eidem ut concedat licentiam cuidam communitati vendendi vinum & bladum fidelibus. Cap. LXXXVII.

Bladum, id eſt, frumentum.

Eidem ut nomina Caſtellanorum & ſtatuta Caſtrorum ſuæ jurisdictionis in ſcriptis transmittat ad Curiam. Cap. LXXXVIII.

Cuidam Poteſtati & Communitati, ut ablata poſt appellationem reſtituere non poſtponat. Cap. LXXXIX.

Concedit licentiam quibusdam fidelibus de infidelibus capiendis, & his qui portant victualia ad rebelles. Cap. XC.

Capitaneo, ut concedat licentiam portandi & vendendi bladum fidelibus. Cap. XCI.

Cuidam Communitati, ut quendam eremum non debeant in ſuis juribus moleſtare. Cap. XCII.

Capitaneo, ut non permittat fideles moleſtari contra gratiam eis conceſſam. Cap. XCIII.

Capitaneo, ut contractum debitum ab Episcopo ſolvat de bonis Episcopatus devolutis ad jura fiſci. Cap. XCIV.

Eidem, ſuper eodem vel quaſi. Cap. XCV.

Eidem, ut non moleſtet eum qui bona quædam emerat ab Epiſcopo memorato. Cap. XCVI.

Quibusdam ut citentur ad Curiam, qui alios in ſua poſſeſſione moleſtant. Cap. XCVII.

Reſpondet cuidam nobili, & commendat eum de fidelitate. Cap. XCVIII.

Capitaneo, ut amoto Caſtellano veteri, Caſtrum novo Caſtellano debeat aſſignare. Cap. XCIX.

Cuidam nobili, ut procedat ad regimen civitatis cui præfecit eum ad Poteſtatem. Cap. C.

Communitati civitatis ejusdem, ut eidem Poteſtati pareant & intendant. Cap. CI.

Reſpondet Capitaneo, & commendat eum de proceſſu facto per eum, & inſtruit qualiter ſit proceſſurus. Cap. CII.

Significat cuidam nobili proſperum adventum ſuum in regnum. Cap. CIII.

Capitaneo, ut provideat annuatim cuidam nobili de proventibus cujusdam eccleſiæ. Cap. CIV.

Item ſuper eodem vel quaſi. Cap. CV.

Cuidam Communitati, ut reſtituant equos eis, qui eos perdiderant in ſervitiis Imperatoris. Cap. CVI.

Forbannitio, id eſt, proſcriptio.

Forbannitio, facta contra homicidam non comparentem in judicio. Cap. CVII.

Sententia condemnationis, lata contra quoddam Commune, quia non ceperant homicidam. Cap. CVIII.

Capitaneo, ut aſſignet proventus duorum Caſtrorum quibusdam, qui propter fidem ſunt exules. Cap. CIX.

Poteſtati, quod is, qui bona ſua inter creditores diſtribuit, ad ſolvendum decimam Curiæ non cogatur. Cap. CX.

Ut capiantur forbanniti, & in Curia præſententur. Cap. CXI.

Forma

Forma exbannitionis, facta contra contumaces accuſatos de homicidio. Cap. CXII.
Quod nobiles & alii potentes conferant in daciis & collectis cum univerſitate. Cap. CXIII. Daciæ vectigalia intelliguntur.
Forma petitionis, in approbata forma Imperatori porrigenda. Cap. CXIV.
Literæ ſecuritatis, & conductus nunciorum in eundo & redeundo. Cap. CXV.
Super inquiſitione facienda, ſuper quibusdam articulis contra moniales. Cap. CXVI.
Significat rumores & hortatur ut ſint fideles. Cap. CXVII.
Item idem ſuper eisdem, & hortatio ut ſe parent. Cap. CXVIII.
De remiſſione militum ad ſuum ſervitium tranſmiſſorum, cum hortatione. Cap. CXIX.
Quod fiat emenda militibus qui equos & arma, ac res alias in exercitu perdiderunt. Cap. CXX. Emenda, id eſt, recompenſatio.
Informatio juſtitiæ ad reſtitutionem rei ablatæ per violentiam. Cap. CXXI.
Reſponſalis in brevi forma. Cap. CXXII.
Item de eodem, & ſignificat ſe iturum ad partes illas. Cap. CXXIII.
Informatio juſtitiæ de non moleſtandis religioſis, contra privilegium & ſtatutum. Cap. CXXIV.
Reſponſalis commendationis de præteritis, & hortans ad futura. Cap. CXXV.
Fidelibus ſuis Thuſciæ, ut obediant Capitaneo quem mittit. Cap. CXXVI.
Fidelibus ſuis, commendans eos de fide, & animat eos in ipſa. Cap. CXXVII.

Cauda concluſionis, quæ apponitur in cæteris literis commiſſionis. Cap. CXXVIII.

Rex Conradus ſignificat fidelibus ſuis regnicolis adventum ſuum, de Alamannia in regnum. Cap. CXXIX.

Item commendat Panormitanos de fidelitate, & regratiatur eis de oblata pecunia. Cap. CXXX.

Secretario Siciliæ, ut faciat reſtitui bona patris proditoris, filio fideli. Cap. CXXXI.

Magiſtro juſticiario, de diſtributione generalis collectæ. Cap. CXXXII.

Increpando ſcribit rationalibus ſuis Apuliæ, ſuper mittenda pecunia, & ut obediant nuncio. Cap. CXXXIII.

Fidelibus ſuis, ut ei quem mittit obediant ad exigendam pecuniam ab officialibus. Cap. CXXXIV.

Exprobrat Romanis, qui noluerunt acquieſcere monitis ſuis & ut credant nunciis. Cap. CXXXV.

De commendatione regni Siciliæ, & ordinatione juſtitiæ. Cap. CXXXVI.

Fidelibus ſuis de Marchia, ut parent ſe ad exercitum cum eo. Cap. CXXXVII.

EPI-

EPISTOLARUM PETRI DE VINEIS.

Liber V.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cap. I.

Commiſſio vicariæ cum gladii poteſtate.

AD extollenda juſtorum præconia, & reprimendas inſolentias transgreſſorum, proſpiciens de cœlo (1) juſtitia erexit in populis regnantium ſolia, & diverſorum principum poteſtates. Caruiſſet namque libenter humana conditio jugo dominii, nec libertatem à ſe, quam eis natura donaverat homines abdicaſſent, niſi quod impunita licentia ſcelerum, in evidentem perniciem humani generis redundabat, & ſic neceſſitate quadam oportuit noſtram (2) ſubeſſe juſtitiæ & ſervire judicio libertatem. Sed nec extrinſecus exquiri decuit ſpeciem aliam creaturæ, cui ſe repræſentata per hominem cœleſtis imago ſubjiceret: ſed homo prælatus eſt homini, ut gratiorem prælaturam efficeret identitas ſpeciei. Potiſſime tamen divina ſententia præfecit ad regimen populorum Imperium, dum oſtenſa ſibi figura numismatis in redditione cenſus, ac ſolutionibus tributorum, præ cæteris regibus Cæſareæ fortunæ faſtigium præſignivit (3). Cui diverſimodas ſubdidit nationes,

(1) *proſpiciens de cœlo* l. reſpiciens cœli. (2) *noſtram* l. naturam. (3) *præſignivit* l. præſignavit.

tiones, non ad hoc ſolum, ut eis imperando præeſſet, ſed ut ipſis potius juſtitiæ copiam miniſtrando prodeſſet. Inter alias igitur occupationum curas, quibus fluctuantis pelagi more, pro ſalubri Reipublicæ ſtatu, noſter ſpiritus quotidie fatigatur, occurrit cogitationibus noſtris potiſſimum cogitatione potiſſima revolventes, quod Lombardiæ provincia utique (4) nobilis, & pars Romani Imperii precioſa, diu proviſione juſtitiæ caruiſſet: propter quod tam filios & indigenas ejusdem provinciæ, quam advenas in provinciam venientes, in perſonis injurias, & in rebus damna non modica novimus fuiſſe perpeſſos: & ibidem jura Imperii multipliciter diminuta. Ne igitur talentum nobis (5) creditum negligenter abſcondere videamur, utpote qui villicationis noſtræ rationem, ſumus in examine diſtricti judicii redditùri, ad hoc dirigimus (6) aciem mentis noſtræ, ut ad procurandum ſtatum pacificum regionis ipſius, Imperialis proviſionis inſtantia ſalubriter intendamus. Quia tamen ad præſens circa alias partes Imperii neceſſario detinemur, ne terra prædicta tantiſper fructu (7) noſtræ providentiæ careat, cui potentiæ (8) noſtræ præſentiam, necnon & potentiam noſtram proximam pollicemur: ecce de tua providentia (9) & fidelitate confiſi, te de latere noſtro ſumptum generalem vicarium, à Papia inferius in Lombardia, ad eos velut conſcientiæ noſtræ conſcium, pro conſervatione

(4) *utique* l. ut quæ. (5) *nobis* l. nobis in eis. (6) *dirigimus* l. direximus. (7) *tantiſper fructu* l. tantis fructibus. (8) *potentia* l. perſonæ. (9) *providentia* l. prudentia.

ne pacis & concordiæ (10) ſpecialiter deſtinamus, ut vices noſtras univerſaliter geras ibidem. Nec tamen te ſola vicarii poteſtate volumus eſſe contentum, licet ſolo vicarii nomine cenſearis: ſed tibi usque ad alium (11) mandatum noſtrum adjicimus officium præſidiatus, concedentes tibi merum & purum imperium & gladii poteſtatem: & ut in facinoroſos animadvertere valeas vice noſtra, purgando provinciam, malefactores inquiras, & punias inquiſitos, & ſpecialiter eos qui ſtratas & itinera publica auſu temerario violare præſumunt. Criminales etiam quæſtiones audias & civiles, quarum cognitio ſi præſentes eſſemus ad noſtrum auditum pertinet. Liberaliter (12) quoque audias & determines quæſtiones, & imponendi banna & multas, ubi expedierit, autoritatem tibi plenariam impartimur. Decreta utique interponas, quæ ſuper transactione alimentorum, alienatione eccleſiaſticarum rerum, & tuitione minorum, ſecundum juſtitiam interponi petuntur. Tutores etiam & curatores dandi quibuslibet tibi concedimus poteſtatem. Et ut majoribus & minoribus, quibus univerſa jura ſuccurrunt, cauſa cognita, reſtitutionis in integrum beneficium, valeas impertiri, ad audientiam quoque tuam, tam in criminalibus quam civilibus cauſis, appellationes deferri volumus: quas à ſententiis ordinariorum judicum, & eorum omnium qui jurisdictionem ab Imperio ſunt nacti, in provincia ipſa videlicet,

 à Pa-

(10) *concordiæ* l. juſtitiæ. (11) *alium* l. aliud. (12) *auditum pertinet. Liberaliter* l. judicium pertineret; liberales.

à Papia inferius in Lombardia (prout ſuperius dictum eſt) contigerit interponi. Ita tamen, quod (13) ſententia tua ad audientiam noſtri culminis poſſit libere provocari, niſi vel cauſæ qualitas, vel appellationum numerus, appellationis auxilium adimat appellanti. Quapropter fidelitati tuæ firmiter & diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ad ſtatum pacificum regionis ipſius, & reparationem (14) noſtrorum & Imperii virium, in eandem fidem tuam & ſolicitudinem, ſicut gratiam noſtram charam (15) diligis, ſic efficaciter & diligenter impendas (16): ut in te diligentiæ tuæ teſtimonio, electionis noſtræ judicium commendetur, dum talem tanto negotio duximus præponendum, ex cujus fide & induſtria, Serenitatis noſtræ ſalubre propoſitum de obſervatione virium regionis ejusdem ſingulis exprimatur.

Cap. II.

Capitaneo regni, ut procedat ad vindictam cujuſdam proditoris.

NE divino inſtinctu præcognito, ars auſu præcipiti furioſa, de ſuo irrationabiliter facinoroſo triumphet autore: C. reum læſæ Majeſtatis noſtræ crimine deprehenſum, poſt multa variaque tormenta, ut unius pœna ſit timoris incuſſio plurimorum, pœnam ſubire decre-

(13) *ita tamen quod* l. ut inde à. (14) *reparationem* l. recuperatione. (15) *charam* abeſt. (16) *impendas* l. intendas.

In hoc ac ſequentibus Capitibus quæ ſuperſunt deficiunt Inſcriptiones omnes in Manuſcripto.

decrevimus capitalem. Sane quod (1) noſtri regnicolæ, præcognitis undique ſtipendiis meritorum, majoritatem perſonæ in meditationis trutina, cum [criminis enormitate ſuſpendant: magnifica beneficia ſibi à noſtra Majeſtate collata, necnon ipſius 2] enormitatis exceſſus ad notitiam præferri (3) volumus ſingulorum. Porro hic eſt, qui de terra fertilitatis eductus, caducarum rerum opulentia ad votum (4) & ultra extitit fœcundatus. Quare immoderate (5) laſciviens animo, qui plerumque conſuevit rebus luxuriare ſecundis, miniſterii occaſione latentis ſedulus, de præconcepto transgreſſionis fomite, mortis hauſtum ei ſtuduit propinare, à quo multorum ſalus & incolumitas procuratur, volens cum homicidio, immo potius cum homicidiis omnium illorum, quorum vita dependet à noſtra, læſæ crimine (6) Majeſtatis committere. Unde ſalubris proviſionis conſilio, [nequitiæ paſſus metiendo, cum paſſibus pietatis, quod proditorum delerent genimina, & factionum fluvium deſiccaret, edixit cum conſilio 7] procerum (8) divino programmate Imperialis excellentiæ magnitudo, ut terras ſingulas regni noſtri cum impropriis peragat (9) & tormentis ultimum poſtremo ſupplicium (10) ſubiturus; inſtar enim pietatis eſt, in hujusmodi ſceleris correctione

(1) *quod* abeſt. (2) [ ] deſunt. (3) *præferri* l. proferri. (4) *votum* l. imum. (5) *immoderate* l. in moderatione. (6) *à noſtra læſa crimine* l. ex noſtra læſæ crimen. (7) [ ] deſunt. (8) *procerum* l. pro eorum. (9) *impropriis peragat* l. in propria pergat. (10) *ultimum poſtremo ſupplicium* l. ultionum proſterno judicium.

rectione fuiſſe crudelem. Quare ne Dei (11) reverentia retardet crudelitatis (12), quin imo pietatis officium, nec feſtis diebus reus læſæ crimine Majeſtatis à principe, adverſus quem talia molitus eſt, veniam digne poterit expectare. Nam ſi feſta dies non ceſſat perdere furem, quanto minus deſiſtet pœnam infligere hujusmodi proditori? Exequaris igitur tanquam noſtri judex propoſiti, ut effectu operis clareat, quantum habes odii adverſus tam immenſi ſceleris patratorem. Nec te moveat quod ad effectum non duxerit quod intendit, quoniam non debet vindictam effugere, quem tam diri conſcientia facti mens habet attonitum (13), & ſurdo verbere cædit: has enim pœnas patitur ſola peccandi voluntas, nam (14) facti crimen habet in ſe ſcelus (15) qui cogitat illud, etiamſi curſum (16) facinus non attigerit peroptatum.

Cap. III.

Juſticiario regni, ut procedat contra homicidas.

TE redargutionis, & culpæ non vidimus nota carentem (1), dum contra N. & qui homicidium ſub umbra noſtri nominis commiſiſſe dicuntur, tam lente (2), tam ſegniter te audivimus proceſſiſſe. Sequitur etenim,

(11) *Dei* l. diu. (12) *crudelitatis* l. crudelitas. (13) *attonitum* l. abſconditam. (14) *nam* l. non. (15) *ſcelus* l. ſceleris. (16) *etiamſi curſum* l. omni ſuccurſu. (1) *nota carentem* l. tota carente. (2) *lente* l. leve.

etenim, quod dum maleficiorum exceſſus hujusmodi (3), juſto præſidis rigore non ſtringitur, violoſa ſibi jam pœnæ remiſſio, nutritiva ſic criminum, & facinoroſis ex hoc enormis (4) creſcat audacia, & liber quodammodo tranſitus violentiæ præbeatur.

Cap. IV.

Fidelibus ſuis, ſuper inquiſitione facienda contra officiales.

SÆpe contingit, quod dum proceſſus & geſta noſtrorum officialium ignoramus, benemeriti plerumque ſecluduntur (1) à præmiis, & obnoxii eximuntur à pœnis. Sicque ſubditorum noſtrorum fides ex (2) noſtræ retributionis ſubtractione minuitur, & ex impunitate ſcelerum augetur malitia delinquendi. Ut igitur proceſſus eorum, quos ad oculum videre non poſſumus, nobis relatione veridica referentur, fideles noſtros ſuper viſitandis officialibus noſtris ſpecialiter duximus deſtinandos: fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus ſuper omnibus, quæ ad eorum officialium viſitationem ſpectare noſcuntur, prout in literis commiſſionis eorum plenius continetur, eisdem fidelibus noſtris parere & intendere debeatis, &c.

Cap.

(3) *hujusmodi* deeſt. (4) *enormis* abeſt. (1) *plerumque ſecluduntur* l. declaudantur. (2) *ex* l. &.

Cap. V.

Juſticiario, ut procedat ad ſubventionem novi militis, juxta priorum continentiam literarum.

OLim ad ſupplicationem M. & fidelis noſtri P. tunc (1) Juſticiario ipſarum partium, prædeceſſori tuo, per literas noſtras injunximus, ut quia B. de patre (2) ejus, ei qui in noſtris ſervitiis extitit fructuoſus, & in ejusdem filii ſui commodo naturalis affectio ſeu charitas paterna non invitaverat, ut debuerat invitaſſe, ſibi dudum in receptione cinguli militaris, quam ejus debuerat prævenire ſubventio, lentus pater aut rigidus in aliquo non prævidit, idem Juſticiarius à vaſallis (3) præfati B. (4) juxta conſtitutionem regni noſtri ſubventionem præfato B. (5) fieri faceret congruentem. Cumque, ſicut eo nuperrime referente, comperimus dictum mandatum noſtrum effectu debito caruiſſet (6), fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus juxta tenorem literarum noſtrarum, quas ſuper hoc eidem Juſticiario prædeceſſori tuo direximus, prædictum mandatum noſtrum utiliter (7) & celeriter exequaris.

Cap.

(1) *tunc* l. de..... (2) *de patre* l. de . . pater. (3) *vaſallis* l. vaſalli. (4) *B.* l. P. (5) *B.* abeſt. (6) *caruiſſet* l. caruiſſe. (7) *utiliter* l. viriliter.

Cap. VI.

Eidem de refectione cujusdam pontis.

AD evitanda diſcrimina generalis incommodi, quæ in transeundis (1) aquarum decurſibus, dum ex fluviali (2) maxime turgeſcunt alluvia, humanis perſæpe caſibus ingeruntur, artis artificis providit antiquitas, ut in fluvialibus locis deputatis ad tranſitum, utriusque (3) compaginata commoditas, minantis aquæ proſtrata ſuperbia, per pontium tramites viatoribus pandat iter, &c. Ad quorum conſtructionem, necnon ad reparamenta viarum, quæ itinerantibus neceſſario frequentantur (4) etiam ſine mandati oraculo, tanto libentius debent aſpirare deſideria ſubditorum, quanto per id generalis utilitas tangitur, & multa perſonarum pericula rerumque diſcrimina præcaventur. Cumque nuper ad audientiam noſtram pervenit, quod flumen ſitum in jurisdictione tua, propter inundationes aquarum, ſic ſe pro tempore protendat horribile, ut nullus (5) hincinde tranſire volentibus obſecundet: volentes (6) inhabitantibus provinciam de conſenſu (7) noſtrorum fidelium, ſed (8) præcipue, quorum fidei ſuæ meritis libenter commoda quærimus, tam benigne quam ſalubriter providere: fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus univerſitatem civitatis

(1) *quæ in transeundis* l. in transeuntibus. (2) *fluviali* l. pluviali. (3) *utriusque* l. quod utriusque. (4) *frequentantur* l. ſequeſtrantur. (5) *nullus* l. nulli. (6) *volentes* l. volentibus &. (7) *de conſenſu* deſunt. (8) *ſed* l. ſe.

tis N. nullis eccleſiis, eccleſiaſticis ſeu ſecularibus perſonis exceptis, efficaciter (9) moneas & inducas, & ſi expedierit autoritate noſtra compellas, ut pontes (10), vias omnes quæ circa partes & diſtrictus civitatis ipſius neceſſario expetunt reparari, debita faciant (11) reparatione fulciri. [Super quo eam diligentiam habere te volumus, quam tanti boni generalitas, & 12] mandati dominici (13) proſecutio ſtudioſa requirit.

Cap. VII.

Item eidem, ſuper eodem.

TUnc nomen noſtrum glorificamus, hæreditandum in poſteris, cum fulgemus pietatis operibus in modernis: cum per ea quæ in præſenti agimus, deſcriptionem (1) noſtram futuris in ſpeculo tribuamus. Hac igitur ſalubri intentione præmoniti, pontem cœptum in flumine Anfidi periculoſo perſæpe viatoribus & damnoſo, præcipimus percompleri. Et quia de noſtro tribuimus, cum de noſtrorum facultatibus erogamus, fidelitati tuæ (2) præcipiendo mandamus, quatenus per homines terrarum jurisdictionis tuæ, quos intercluſa ſchedula continet, quantitatem pecuniæ imponi facias intercluſam, ea æqualitate (3) & moderatione

(9) *efficaciter* l. perſonaliter. (10) *ut pontes* deſunt. (11) *faciant* l. facias. (12) [ ] deſunt. (13) *mandati dominici* l. data dominico. (1) *deſcriptionem* l. diſcretionem. (2) *tua* l. tuæ firmiter & diſtricte. (3) *æqualitate* l. quantitate.

tione taxandam (4), ut nullus exinde rationabiliter conqueratur, quam recollectam & diſpenſatoribus in opere ejusdem pontis facias aſſignari, in pontis ipſius complemento utiliter convertendam &c.

Cap. VIII.

Eidem, ut non diruat domos proditorum, eo quod infert damnum fidelibus.

SIc conſuevit aliquando transgreſſio puniri nocentium, ut pœnæ rigiditas (1), cujus relaxatio viam delinquentibus aperit, innoxiorum (2) modeſtiam propulſet interdum: cum nonnunquam malorum peccata, juſtos impediant, & virtutes pro vitiis ſæpe crimina ferant. Sed in noſtræ deliberationis examine, ubi juſtitia reperiri (3) non novit injuriam, ſic peccantium puniri deſideramus exceſſus, ut fidelium innocentia non prematur, ſed miſericordia rigori præponderet, & præferatur benignitas ultioni. Eapropter cum domos P. (4) expulſi de regno ob (5) ipſius evidentes exceſſus, & manifeſtas offenſas dirui (6) juſtitia noſtra mandaverit: ac ex ipſarum dirutione domorum domus fidelis noſtri, qui prædicti P. (7) factiones abominans, ſemper fidei noſtræ cultum, prout novimus ex plurium rela-

(4) *& moderatione taxandam* l. vel meditata taxanda. (1) *ut pœnæ rigiditas* l. utpote rugitas. (2) *innoxiorum* l. innoxiatur. (3) *reperiri* l. exaſperari. (4) *P.* l. F. (5) *ob* l. ad. (6) *manifeſtas offenſas dirui* l. manifeſtos dirui domos. (7) *P.* l. F.

tione, dilexit, irreparabile damnum propter diruptionem incurrat : ad ſupplicationem N. fidelis noſtri, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus ſuperſedeas dirutioni domus prædictæ ad præſens, quouſque aliud exinde tibi à Majeſtate noſtra mandetur, quia volumus potius ex humanitate (8) rigorem extenuare juſtitiæ, quam in ipſius obſervatione lædere innocentem &c.

Cap. IX.

Cuidam Juſtitiario, ut puniat villicum qui domini ſui corrupit pediſſequam & uxorem.

REm pernicioſam exemplo pernicioſo nuper audivimus perpetratam : videlicet, quod cum N. miles fidelis noſter, dominus ejus, apud ipſum univerſaliter rei familiaris depoſitum, & pudicitiam cujuſdam pediſſequæ (1), imo uxorem propriam, etiam (2) (niſi dici pudeat) fœnoris non ignorans, ſtudioſe, ſed temerarie commendaſſet : depoſitarius ipſe (3) fide dupliciter violata, perjurio, furtum, & furto perjurium, quod ex ipſius rei depoſitæ contraria contractione contraxerat, furioſæ libidinis conſortium aggregavit. Hanc igitur inimicitiæ familiaris peſtem, ſicut efficaciorem proſpicimus ad nocendum, ſic pœnæ durioris aculeis (4) ipſum eſſe decrevimus feriendum : tuæ fidelitati mandantes, quatenus ſi eſt

(8) *ex humanitate* deſunt. (1) *pediſſequa* l. pediſſequæ ſuæ. (2) *propriam etiam* deſunt. (3) *depoſitarius ipſe* l. depoſitario ipſo. (4) *pœna durioris aculeis* l. ſine livoris aculei.

ſi eſt ita juxta confeſſionem (5) maleficii, quam (6)conſuevit in publicum conſcientia læſa producere: vel talibus probationibus, qualibus hujuſmodi maleficium, quod tanquam hominum aſpectibus horridum, & humanis viſibus (7) verecundum, vix aut nunquam ex viſu (8) probari poſſet, expoſcit, villicum ipſum prænominatum mutilari continuo vaſis ſeminariis facias: ut ejus acerbæ ſed juſtæ vindictæ terrore ruſtici, quinetiam quilibet familiares addiſcant luxuriæ ſuæ frenum imponere: & non tantum in uxoribus dominorum, ſed in focariis etiam cum pudicitia fidem, & cum fide pudicitiam obſervare.

Cap. X.

Pulchrum exordium ſuper inquiſitione facienda.

SOlet ſtudioſus & diligens vinitor (1) evellere plantas degeneres, quæ terram inutiliter occupant, & pernicioſe luxuriant in perniciem palmitum electorum, ac in (2) loco illarum vites uberes & electas propagare: ut tota fiat vinea fertilis & jucunda, ac abundet in fructibus & reſpondeat plantatori. [Sane &c. 3]

Cap. XI.

Eidem, ut puniantur devaſtantes ſegetes noctis tempore.

NE per impunitatem criminum convaleſcat inſolentia perverſorum, fidelitati tuæ mandamus,

d 2

(5) *ita juxta confeſſionem* l. in confeſſione. (6) *quam* l. quæ. (7) *viſibus* l. uſibus. (8) *viſu* l. uſu. (1) *vinitor* l. vineator. (2) *in* l. inde. (3) [ ] deſunt Cap. 11. 12. deſunt in MS.

damus, quatenus illos qui quaſdam ſegetes diſcreti viri N. in noctis ſilentio temere devaſtarunt, ut eidem debitam ſatisfactionem impendant, veritate agnita tradita tibi à nobis poteſtate compellas, talem pœnam infliges eisdem, quod ea ipſis ſit ad ſupplicium & cæteris in exemplum. Si vero aliqui rebelles temere ſe opponerent in hac parte, ipſorum temeritatem taliter corrigas & caſtiges, quod qui ſe ſtultum demonſtrat in culpa, ſapiens ſit in pœna.

Cap. XII.

Eidem ut reformetur pax inter minores & majores.

PAti nolentes ut minores à majoribus opprimantur, diſcretioni tuæ præcipiendo mandamus, quatenus inter milites & populares civitatis procures pacem & concordiam reformare.

Cap. XIII.

Eidem, ut ponantur inſidiæ ad capiendum proditorem.

DIvinis & humanis inſtitutis (1) non abſonat, quod qui noſtram non verentur (2) laceſcere Majeſtatem & contra noſtra quotidie commoda moliuntur, à nobis & regni noſtri fidelibus in perſonis & rebus eis inferri debeant detrimenta (3). Cum igitur Joh.
[de

(1) *inſtitutis* l. laudibus. (2) *non verentur* deſunt. (3) *detrimenta* l. ultiones.

[de N. qui ſuis factionibus 4,] usque modo Imperii noſtri viribus extitit adverſatus, coram noſtræ Celſitudinis effigie comparere devitans, ut Imperialis evadat aculeos ultionis, ſub fictæ pietatis velamine (5) Apoſtolorum intendat limina viſitare: non volentes ut fraus & dolus patrocinentur eidem, fidelitati tuæ mandamus, quatenus per vias & ſemitas ponens inſidias eum capias, ſi inciderit in easdem: ut qui Imperiali diademati inferre non puduit læſionem, cadat ipſe in decipulam quam tetendit.

Cap. XIV.

Reſponſum ad præcedentem.

IMperatoriæ celſitudinis juſſionem exequi promptiſſime cupiens, juxta Imperialis edicti paginam feci vias & ſemitas cuſtodiri, ne forte ille tranſiret, qui vobis contrarius extitit & rebellis. Quia vero juxta divinum eloquium, nec ſine præmio bonum, nec malum præterit impunitum, votis noſtris [divina favente clementia] qui mandati veſtri transgreſſor exiterat, tranſire non poterat improviſus. Noſcat igitur Cæſarea magnitudo, quod fraus & dolus ſibi patrocinari non potuit: nam lapſus in laqueum & decipulam quam tetendit vel paravit, vobis transmittitur ad veſtrum beneplacitum puniendus.

(4) [ ] l. tuus pro eo quod. (5) *fictæ pietatis velamine* l. fide pietatis.

Cap. 14. 15. deſunt in MS.

Cap. XV.

Eidem, ut procedat contra exactiones ultra debitum.

GEneralis ſubditorum noſtrorum regni Siciliæ auribus noſtris inculcata ſæpius, non ſine vehementis admirationis materia, Majeſtatem noſtram ſæpe querela commovit. Quod cum de mandato noſtro fidelibus noſtris collectas imponi contingat, impoſitores earum, qui cum ſumma diligentia, & ſolennitate debita juxta noſtrorum ordinationem officialium eliguntur, amore, timore, vel odio devitant, quod juramento promittunt: & aliquando quibusdam parcentes, alleviando conſanguineos & affines pro eorum arbitrio aggravant reliquos, eis onera importabilia imponendo, nulla ſacramenti reverentia obſervata nec ad Majeſtatem noſtram aliquem habendo reſpectum. Quo fit ut neceſſario ſumma impoſita tempore congruo, & ſine magno ſtrepitu haberi non poſſit: ac ut negotiorum noſtrorum & votorum executio retardetur, collectorum quidem tantum crevit impunita temeritas civitatum & locorum aliorum, ut nedum in fiſci noſtri præjudicium temerariam exactionem exerceant in pleroſque: immo improvide partem receptam fiſcalis pecuniæ, in uſus proprios convertere non formidant: licitum eis fore in noſtra putantes abſentia, quod nobis in regno manentibus forte committere vererentur. O tu igitur quem inter alios fideles noſtros eligimus, de tua prudentia & legalitate confiſi, tibi committimus vices noſtras, fidelitati tuæ mandantes, quatenus

tenus per ſingula loca, civitates, & caſtra juriſdictioni tuæ ſubdita, te perſonaliter conferens, inquiſitionem ſuper his facias diligentem, & quicquid inde inveneris, ſeriatim culmini noſtro ſcribas.

Cap. XVI.

Juſtitiariis Terræ laboris, de colligenda pecunia pro maritagio filiæ ſuæ.

Fidelitatis noſtræ cultoribus, quos in ambitu regni noſtri Siciliæ in via pacis & ſecuritatis deducimus, humanitatis majoris oſtendere ſigna non poſſumus, quam ſi cum ipſis in communitate virium noſtram (1) magnificentiam counimus: & dum ab eis faſtigia noſtræ Majeſtatis differimus (2), paritatis apud eos materiam invenimus, ab experientiæ fructibus fide nacta, qui dum in eorum ſenſibus nos ad (3) humaniora diſponimus (4), devotiores ipſos in noſtris obſequiis experimur. Et ideo cum pro maritagio filiæ noſtræ chariſſimæ, quam filio N. Marchionis Miſnenſis decrevimus copulandam, à fidelibus noſtris regnicolis ſubventionem placeat exhiberi: fidelitati tuæ firmiter & diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus 3. Calend. proximi futuri menſis Aprilis, cum generalis collectæ pecuniam poſſibiliter (5) credimus recollectam, medietatem totius generalis collectæ prædictæ (6), præſenti anno, de mandato noſtro in tua juriſdictione taxatæ (7), per

(1) *noſtram* l. noſtrarum. (2) *differimus* l. deſerimus. (3) *nos ad* l. &. (4) *diſponimus* deeſt. (5) *poſſibiliter* abeſt. (6) *prædicta* l. pro. (7) *taxata* l. ceſſare.

per ſingulos Juſtitiariatus ejusdem tuæ jurisdictionis diſcretione provida imponi facias & recolligi (8), feſtinanter eam ad noſtram Cameram deſtinandam.

Cap. XVII.

Abbati & Conventui cujusdam monaſterii, ut recludant feneſtras propter aſpectum ſecularium.

PRompta vos devotione recipere ſcripta noſtra conjicimus, quæ nobis maxime obſervantiam honeſtatis & regularitatis decorem tangentia deſtinamus, credentes in hoc mandatis noſtris vota veſtra concurrere, & literarum noſtrarum ſeriem noſtris deſideriis convenire. Cum itaque nuper ad audientiam noſtram pervenerit, quod domus, quas magiſter N. de N. habet, in monaſterii veſtri multa ſint proximitate vicinæ, ita quod utrisque ſe feneſtris oppoſitis intuentur: quod quanquam eſſet ſecularibus horridum, & videri poſſet regularibus inhoneſtum: ipſe tamen æquanimiter hactenus, dum fratris ejus qui monaſterii veſtri regimini præfuit, mutuis hincinde poterat recreari colloquiis, vicinitatis tantæ conjugia celeravit. Nunc autem cum idem frater mortalitatis dicatur debitum exolviſſe, nec deceat ipſum in antea cum uxore ſeculariter conviventem, extraneos in domibus ſuis tam proximos habere reſpectus, ac Ordini veſtro conveniat, oculos, à mundanis aſpectibus ſequeſtrare: devotionem veſtram requirimus & hortamur attente,

(8) *recolligi* l. recolligas.
Cap. 17. deeſt.

tente, mandantes, quatenus feneſtras domorum veſtrarum, quod libenter vos facere credimus, ſic obſtrui faciatis, quod per hoc ejuſdem magiſtri placeatis affectibus, & per honeſtatis veſtræ conſtantiam, bonorum exemplis operum alios informetis.

Cap. XVIII.

Juſtitiario, ut compellantur redire ad habitandas terras ſuas illi, qui pro vitandis collectis fraudulenter fugierunt ab eisdem.

INtellecto nuper, quod nonnulli habitatores regni, ut collectarum & aliorum Curiæ noſtræ ſervitiorum ab aliorum ſuorum civium communione ſe ſubtrahant, incolatus propriis domiciliis derelictis, ſe ad alia loca juriſdictionis tuæ, in quibus eorum non ſit (1) nota conditio, per doloſa ſuffragia tranſtulerunt: & ſic onera quæ communes humeros (2) exigebant, incumbunt reſiduis intollerabiliter ſupportanda: quocirca fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus quoſcunque habitatores terræ [ipſius, ob cauſam prædictam propria domicilia inveneris reliquiſſe, ipſos ad incolatus terræ 3] ſuæ incontinenti redire, qua videris rerum & perſonarum diſtrictione compellas: ut fugam ipſam (4) quam in aliorum præjudicium fraudulenter ingeſſerant, nullum ſibi ſentiant patrocinium exhibere.

d 5 Cap.

(1) *non ſit* deſunt. (2) *communes humeros* l. communia. (3) [ ] deſunt. (4) *ipſam* l. ſuam.
Cap. 19. 20. deſunt.

Cap. XIX.

Eidem, ut manuteneat & defendat illos quos & quorum bona, ſuper protectione Imperiali ſuſceperat.

VOcatus ad præſentiam noſtram magiſter Petrus de Vineis pro inſtantibus Excellentiæ noſtræ ſervitiis, quæ perſonam ſuam ſpecialiter exigebant, domeſticas & feſtivas primitias nuptiarum, mandatis parendo dominicis, interrupit. Cumque domum ſuam & conſortis ſuæ novæ conſtantiam, cujus erat in ſuo pectore cura major, dum cuſtodes incertos & incognitos hoſpites nollet ad hoc, vel potius dubitaret admittere, & ſocrui ſuæ, de qua præ cæteris confidebat ſpecialiter, & fiducialiter commiſiſſet. Quæ licet in totum virilem ſupplere non poſſit abſentiam, nihilominus tamen, ne abinde diſcedat, dictus magiſter noſtro culmini ſupplicavit, ut domum & filios ſocrus ipſius, quos ex cauſa prædicta deſeruit, ſub noſtra protectione recipi mandaremus. Cujus ſupplicationibus inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus domum, terram, & filios mulieris ipſius non permittas ab aliquo moleſtari, ſed ipſos in eorum viribus, autoritate noſtri culminis, manuteneas & defendas.

Cap. XX.

Conſtitutio contra devaſtantes hortos & vineas.

MUltum noſtris derogatur affectibus, ſi juſtitiæ limitem, cujus nos ſubditos debito-

bitores offerimus, transgreſſorum cupiditas effrenata circumſtrepit, & pacis quietæ temperiem aliquorum improviſa temeritas inquietet. Sed illud præcipue noſtris cedit votis infeſtius, cum reverentia quaſi vilipenſa dominii tantum præceps & incauta divitum majorumque præſumit audacia, ut impudenter in pauperes ſæviat, & crudeliter exardeat in minores. Hoc ſiquidem in civitate N. ſicut ex hortulanorum & pauperum querula propoſitione comperimus, committitur inſolenter: qui dum ex manuum ſuarum laboribus, quos ad defendendam inopiam in hortis & vineis excolendis exercitant, commodum ſperant: herba frequenter in florem prodiens, & raro perfectionem maturitatis attingens rapaci vel violenta falce præciditur, & laborantis manibus exinde prævisa compendia præauferuntur. Furit enim in ipſos aliquando furtivis inſultibus aggreſſorum ingluvies, quibus non licet dicere, cur veniſtis? & ſævit perſæpe viriliter in collectione fructuum impudica fragilitas ancillarum, quibus mittentium animatis imperio repulſam adimit potentia dominorum. Sicque colonus ſpe fruſtratus & præmio, tutius eligit damna diſſimulare ſilentio, quam verbis factus horribilis perſonales injurias rerum cumulare jacturis. Volentes igitur, ut vulnus hujusmodi, ne ad alios ex impunitate ſubrepat ignis, vel ferri ſeveritas violenter abſcidat, cui reverentiæ noſtræ medicina non prodeſt: præſenti edicto noſtro inter alia ſtatuta civitatis ipſius inſeri tenaciter valituro ſancimus: ut quotiens maſculini ſexus aliquis malefactor, cujuſcunque conditionis, generis, vel

vel ætatis, in ipſo fragranti malicio fuerit deprehenſus, de noſtra licentia capiatur aſſignandus tibi N. per te Serenitatis noſtræ oraculo nullatenus liberandus. Si vero pediſſequam, vel cujuscunque conditionis alterius mulierem ejusdem maleficii deprehenſio complectatur, nulla patrono ejus, qui liberas ſibi ad exceſſus hujusmodi laxavit habenas, honorificentia reſervata, ipſam per terram publice volumus ſubjici fuſtibus, ut culpam perpetrati facinoris ſceleris ejusdem pœnalitatis aſperitas judicet, & in caſu ſimili delinquendi materiam cæteris interdicat. Hac enim inviolabili juſſione ſtatuimus, ut nulli hortulanorum ipſorum liceat ob alicujus violentiam ſeu rogatum, alia in hortis ipſis ſpargere ſemina, niſi ea quæ uſibus & eſibus humanis accommoda, telluris hortalis fœcunditas producere conſuevit.

Cap. XXI.

Cuidam Abbati, ut compeſcat fratres diffamantes confratrem ſuum, in ſuo ſervitio exiſtentem.

NUper ad audientiam Celſitudinis noſtræ pervenit, quod cum fratrem N. de N. devotum noſtrum, quem grata nobis Ordinis veſtri religio, & experta ſuæ probitatis ſufficientia commendabant, pridem in Curia noſtra pro quibusdam ſervitiis noſtris, perſonam ſuam non ſine cauſa poſcentibus, nobiſcum aliquo tempore juſſerimus moratu-

rum

rum: aliquorum fratrum ipſius Ordinis effrenis oblocutionis incauta, & utinam non mordacis (1) livoris ſeducta licentia, fratrem eundem propterea, quem ex hoc chariorem habuiſſe debuerant, impudenter diffamaſſe dicuntur. Cumque hujusmodi verba, non minus honoris noſtri injuriam, quam fratris ejusdem detrimenta contingant: devotionem tuam rogamus (2) & hortamur attente, quatenus diligenti ſuper hæc cura præhabita, fratres omnes quos propter hoc (3) ad fratris ejusdem infamiam temere prorupiſſe compereris, debita diſciplina caſtigans, eorum lubrica labia ſilentii munimento compeſcas: illud circa innocentiam fratris ipſius proviſionis remedium habiturus, ut (4) ſi quid gravaminis illatum ſibi propterea fuiſſe conqueritur, ipſum de præterito ſatisfactio condigna conciliet, & cautelæ proviſio inuniat (5) de futuro.

Cap. XXII.

Cuidam Abbati, de quodam Monacho falſario.

NUper in regno noſtro, quidam circumvagus inventus eſt monachus, qui falſas ſigilli noſtri formas adulterans, non absque honoris noſtri injuria, & tuæ honeſtatis infamia diſcurrebat. Ut igitur de ſigillo ipſo ulterius flagitioſa figmenta non procedant, ipſum tibi, cujus honoris augmentum de bono ſemper in melius cupimus promovendum

(1) *mordacis* l. mordentis. (2) *rogamus* l. requirimus. (3) *quos propter hoc* l. ſuper hoc. (4) *ut* l. ac. (5) *inuniat* l. muniat.

Cap. 22. usque ad 50. deſunt.

dum, ſub annuli noſtri clauſura transmittimus, & falſarium monachum, ut culpas ſuas diſtrictius doleat, quibus laſcivus ſe ingeſſit, carceris noſtri compedibus mandavimus detineri.

Cap. XXIII.

Juſtitiario, ut faciat provideri cuidam in ſuo ſervitio exiſtenti, juxta priorum continentiam literarum.

OLim ad ſupplicationem G. qui in noſtris ſervitiis publicis continuus & obſequioſus invigilat, Petro de N. prædeceſſori tuo dediſſe recolimus per literas noſtras in mandatis, ut quia B. pater ipſius, naturalis affectionis dulcedine, quæ conſuevit ineſſe patribus, impudenter abuſus, & à generoſitatis quodammodo lege degenerans, eum ratione debita non tractabat ut filium, nec tempore quo feliciter de regno noſtro diſceſſimus, ſibi ſubventionem aliquam fecerat expenſarum: dictum G. usque ad 50. uncias auri, pro ſupplicantis ejusdem ſumptibus, autoritate noſtra compelleret transmiſſurum: ut qui humanis ſuaſionibus naturæ rigidus molliri non poterat, mandantis imperio flecteretur invitus. Nuper autem, ſicut ex ejus aſſertione comperimus, quod miramur & merito, ſuper hoc nec patris affectio profuit, nec mandantis affectus: ſicque noſtræ juſſionis authoritas incaute contemnitur, burſa in noſtris vacuata ſervitiis neceſſario cogitur indigitur. Eo itaque ſupplicante

cante ſuper hoc ſibi per noſtram Excellentiam provideri, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus ad efficacem executionem & celerem mandati prædicti, juxta priorum continentiam literarum, quas propterea Petro præfato direximus, ſic omni dilatione poſtpoſita ſolicitus & ſtudioſus intendas: quod idem ſpes hactenus præconcepta fraudavit, neceſſitatum ſuarum eſuriem præſentis mandati noſtri ſuffragio ſentiat mitigatam.

Cap. XXIV.

Cuidam ut non faciat repræſalias contra Tudertinos, ſed alleget jus ſuum in Imperiali curia ſi quod habet.

LEcta nuper in auditorio Communis Tudertinorum, noſtrorum fidelium, ſupplex petitio, continebat quod cum juvenis quidam, nomine A. ad civitatem accederet, & ibidem aliquandiu moraretur: quidam, quorum nomina ignorare ſe dicunt, principales ſe tuos nuncios aſſerentes, præfatum A. propoſuerunt quandam ſummam pecuniæ, & res alias ſibi furtive ſurreptas ſecum clandeſtine aſportaſſe, ſuper quo pro parte tua juſtitiam ſibi fieri poſtularunt. Quod cum Communi prædicto ex nunciorum ipſorum propoſitione noteſceret, cauſam ipſam nolentes dare diffugio, in eorum nunciorum conſpectibus præſentato, quam juris ordo depoſceret, eis pro parte tua facere juſtitiam obtulerunt: nec patientes, quod per eorum incuriam vel per ejuſdem malitiam negotium

gotium ipſum ulterius differatur, ſibi firmiter & expreſſe mandarunt, ut eiſdem tuis nunciis ſociatus, de terra prædicta diſcederet ad te, cum rebus ablatis omnibus rediturus. Qui dum ad te ſub nunciorum tuorum cuſtodia rediens, ad caſtrum quod Marſanum dicitur deveniſſet à præfatis nunciis tuis res omnes quas ſecum ferebat reſtituere violenter impulſus fuerit, mortisque ſibi forte metuens imminere periculum, ab eorum oculis repentinus aufugit, & Romam ſe dicitur contuliſſe. Propter quod, licet frivolam occaſionem aſſumens, de bonis ipſorum Tudertinorum repræſalias te velle facere comminaris, in eorum præjudicium manifeſtum; nos autem ipſorum ſupplicationibus inclinati, fidelitati tuæ præcipimus, quatenus ſi præmiſſa veritate nitantur occaſione prædicta, de bonis Tudertinorum ipſorum, ſine ſpecialis Celſitudinis noſtræ mandato, repræſalias aliquas facere non præſumas: ſed ſi quid juris te contra ipſos habere contendis, illud (prout rationis & moris eſt in ſimilibus) per noſtram Curiam obſervatum, recepto prius hoc oraculo Majeſtatis noſtræ proſequaris.

Cap. XXV.

Quod reſtituatur pecunia mutuata.

IN noſtræ Majeſtatis præſentia conſtitutus R. de N. fidelis noſter, coram nobis expoſuit conquerendo, quod B. & H. de N. ſibi ex cauſa mutui in quadam ſumma pecuniæ teneantur aſtricti: eam ut tenentur & debent ſibi ſolvere contradicunt, ut aſſerit, in ipſius præ-

præjudicium & gravamen. Unde cum præfato R. & cuique noſtro fideli in ſuo jure adeſſe velimus, fidelitati tuæ præcipimus & mandamus, quatenus coram te partibus convocatis, & qui de jure erunt evocandi, cauſam ipſam audias & decidas juſtitia mediante: ut pro juſtitiæ defectu, neutri partium juſta ſuperſit materia conquerendi.

Cap. XXVI.

Contra illos qui turbant aliquem in ſua poſſeſſione.

QUerelam C. de N. fidelis noſtri, noſtra nuper Serenitas intellexit, quod G. & F. de N. quasdam poſſeſſiones & domos ſuas, ſitas in N. ad eum de jure ſpectantes, per violentiam & injuſte detinent occupatas: & ipſas, ut juſtum eſt ſibi dimittere ac reſtituere contradicunt, in ipſius grave præjudicium & non modicam læſionem. Unde fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus &c. ut ſupra in alia usque in finem.

Cap. XXVII.

De cauſa appellationis ſuperiori committenda, ſuper criminalibus interjectæ.

CAuſa appellationis à ſententia condemnationis, latam per B. de N. tunc Poteſtatem civitatis, contra T. Rubeum de eadem terra, ſuper 50. libris à Pandulpho de Faſanellis proditore noſtro, olim in Thuſcia

de mandato noſtro vicario generali, prout aſſeritur, legitime interjectam, ſuper eo quod Theodericus Rubeus prædictus per B. de N. coram eodem Poteſtate extiterat accuſatus, quod eundem B. percuſſerat cum cultello, fidelitati tuæ duximus committendam, mandantes, quatenus totius proceſſus & ſententiæ latæ tenore diligenter inſpecto vel perpenſo, partibus etiam in tua præſentia convocatis, & qui de jure fuerint evocandi, ſi præfatum Poteſtatem ordine judiciario, & non ex officio tibi ſuper præmiſſis conſtiterit proceſſiſſe ad confirmationem vel infirmationem ipſius proceſſus & condemnationis ſententiæ, prout fuerit de jure procedas. Deinde facias, quod juri & honori noſtro videris utilius & honeſtius expedire.

Cap. XXVIII.

Mandat ut provideat ſuper intercluſa petitione.

PEtitionem G. de N. fidelis noſtri, nuper noſtro culmini præſentatam tibi transmittimus, præſentibus intercluſam: fidelitati tuæ mandantes, quatenus ipſius petitionis tenore diligenter inſpecto, & plenius comprehenſo, inde facias quod juri & honori noſtro videris utilius & honeſtius expedire.

Cap. XXIX.

Reſponſalis Friderici, cum commendatione ſolicitudinis.

AFfectione ſolita recepit Excellentia noſtra literas quas miſiſti, & quæ continebantur

tur in eis pleno collegimus intellectu. Super eo vero quod paratos habere ſcripſiſti ſervientes, pro ſervitiis noſtris in Sardinia profecturos, induſtriæ tuæ ſtudium plurimum commendamus, noſtræ tibi proinde plenitudinem gratiæ promittentes.

Cap. XXX.

Item reſponſalis ad illud.

SOlita benignitate recepit noſtra Serenitas literas, quas noſtro culmini deſtinaſti, & quæ continebantur in eis intelleximus diligenter. Ad id autem quod de ſancto R. de N. civis fidelis noſtri, noſtræ Celſitudini intimaſti eundem R. ad præſens in regione Ferrarienſi Ravennæ exiſtentium fidelium noſtrorum, nec non in ſervitiis noſtris in partibus Romangiæ utilem exiſtere, æſtimantes: & ideo ſupplicaſti ut ad relationem ipſius & ſui ſoceri, qui in regno de mandato noſtro præſentialiter commorantur, Celſitudo noſtra intendere dignaretur: fidelitati tuæ duximus taliter reſpondendum, quod ecce per C. ſuper his reſcribimus, noſtræ beneplacitum voluntatis.

Cap. XXXI.

Ut reſcribat quod expedit ſuper nunciato negocio.

CUm H. & G. fideles noſtri, per eorum literas noſtræ ſupplicaverint Majeſtati, ut quia R. civis Ravennenſis, fidelis noſter, foret

foret ad præſens ſuper regimine Ferrarienſium, & Ravennatum, qui in noſtræ fidelitatis conſtantia perſeverant, necnon & aliis ſervitiis noſtris, in partibus Romangiæ exequendis, plurimum opportunum dignaremur eundem R. & ſocerum ipſius in regno de mandato noſtro præſentialiter commorantem, relaxare de noſtra gratia ſpeciali. Volentes itaque in his cautius procedere, ſicut decet, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus tuis literis denotare procures, quid inde noſtræ expediat Majeſtati.

Cap. XXXII.

Quod aliquis miles recipiatur ad ſtipendia Curiæ.

AD noſtræ Majeſtatis præſentiam accedens Jacobus de N. miles fidelis noſter, Celſitudini noſtræ humiliter ſupplicavit, ut cum in fide nobis ſervanda, relictis omnibus ſtabilibus ſuis, à civitate Placentina noſtris rebellibus diſcedendo, ad noſtra ſervitia venerit moraturus: & in eisdem ſervitiis noſtris cum dilecto filio noſtro H. Illuſtri Rege Sardiniæ, ſacri Imperii generali legato, hactenus ſteterit equis & armis munitus, fideliter & devote ad ſuæ vitæ ſuſtentationem, cum aliis ſtipendiariis noſtris ipſum recipi de noſtræ benignitatis gratia mandaremus: nos ita ipſius Jac. ſupplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus, ſi memoratus Jacobus fidelis noſter armis & equis ad te munitus venerit, condecenter ipſum inter alios ſtipendi-

pendi-

pendiarios milites, qui tecum in noſtris ſervitiis commorantur, recipere non poſtponas: proviſurus eidem in ſtipendiis ſicut aliis ſtipendiariis ſupradictis per te providebitur, de mandato noſtræ Celſitudinis ſpeciali.

Cap. XXXIII.

Ut moneantur Piſani quod deſiſtant à moleſtiis regnicolarum.

PRoceſſus Piſanorum intollerabiles & enormes, qui fideles noſtros regnicolas ſecuritatis noſtræ literas deferentes, in regno graviter perſequuntur, prout nuper per literas Con. de N. juſtitiarii in Sicilia, citra flumen Farum, fidelis noſtri, culmini noſtro transmiſſas accepimus: fidelitati tuæ prævidimus referendos: ut per te in regione ipſa, præſente conſilio civitatis Piſanorum, noſtris fidelibus, debeant explicari. Propter quod fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus inſolentias in dictis literis comprehenſas, illatas noſtris fidelibus, ut eſt dictum, in conſilio prædicto proponens, ex parte culminis noſtri requiras Poteſtatem & Conſilium civitatis prædictæ, quod Piſanos navigantes ſic de cætero ſtudeant cohibere: quod contra regnicolas in regno vel alibi aliquatenus de cætero non inſurgant: nec eis in perſonis aut rebus moleſtias inferre præſumant. Si enim Piſani prædicti [quod non credimus] ab eorum inſolentiis non ceſſarent, Majeſtatem noſtram non deceret eorum exceſſus ulterius tolerare.

Cap. XXXIV.

Concluſio ſuper proceſſu ad Curiam deſtinando, in cauſa appellationis, ſuper terminali condemnatione, facta negotii narratione.

SUpplicavit Excellentiæ noſtræ Saulus de N. fidelis noſter. Nos autem ipſius ſupplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuæ mandamus, quatenus ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, & cauſa ipſa judiciario ordine cognita extitit, & ſententialiter terminata, proceſſum & formam condemnationis ejusdem ſub tui ſigilli] impreſſione noſtræ Curiæ ſtudeas deſtinare: eidem Poteſtati nihilominus pro parte noſtræ Celſitudinis præcepturus, ut ſimiliter totum proceſſum condemnationis ejusdem habitum coram eo ad noſtram Curiam ſub ſuo ſigillo deſtinare procuret: ut in ipſa cauſa per judices magnæ noſtræ Curiæ, de proceſſu prædicto edoctos, procedatur, ſicut juri & honori noſtri culminis videbitur expedire: præcepto per te facto eidem Poteſtati & Communi de ſyndico ipſorum, ad noſtram Curiam deſtinando: præterea & S. prædicto peremptorio termino aſſignato, quo ſe noſtræ Curiæ repræſentent, in cauſa eadem prout convenit proceſſuros, juſtitia mediante. Volumus inſuper, ut de die citationis & termino ſtatuendo, tuis literis debeas noſtram Curiam edocere.

Cap. XXXV.

De ſalariis Poteſtatum, in approbata forma.

PRo parte univerſitatis Caſtri de N. fidelium noſtrorum, nuper Celſitudini noſtræ fuit oblata

oblata querela: quod cum ipſi antiquitus eorum Poteſtatibus certam & congruam pecuniæ quantitatem pro ſalario, & non ultra, ſecundum formam Caſtri ejusdem ſtatuti conſueverint exhibere: dubitantes ne in futurum per alios Poteſtates majorem compellantur ſolvere pecuniæ quantitatem: Majeſtati noſtræ pro parte ipſorum extitit humiliter ſupplicatum, ut eisdem fidelibus ſuper hoc ad futuram cautelam ipſorum, dignaremur miſericorditer providere. Nos itaque ipſorum ſupplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus Poteſtates eorum, ibidem de cætero per noſtram Curiam deſtinandos, vel ſtatuendos, illa ſalarii quantitate facias eſſe contentos, quam Poteſtati eorum ipſos tibi conſtiterit exolviſſe eo anno, quo de Lombardiæ partibus redeuntes per Thuſciam tranſivimus, & Pandulphum de Faſanellis, proditorem noſtrum, vicarium Imperii in Thuſcia, duximus ordinandum: vel eo anno quo terra ipſa ad noſtram fidelitatem noſcitur deveniſſe.

Cap. XXXVI.

Alia forma ſuper eodem negocio Poteſtati terræ.

PRo parte Communis Caſtri N. fidelium noſtrorum, cum querela fuit nuper expoſitum coram nobis: quod tu Poteſtas ejusdem Caſtri, non contentus ſalario, quod ipſi cæteris Poteſtatibus eorum ſolitum dabant, & dare debebant, compellis eos majus tibi ſalarium exhibere. Quocirca fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus dictos

fideles noſtros, ad majus tibi ſalarium exhibendum, contra formam ſtatuti ipſorum ſoliti, non compellas. Nolumus etenim, fideles noſtros indebitis gravaminibus affici, & inſolitis moleſtiis aggravari.

Cap. XXXVII.

De ſecuro conductu ſine termino & conditionibus.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis &c. Cum magiſtrum G. delatorem præſentium notabilem Capellanum, fidelem noſtrum, ad Ludovicum illuſtrem regem Francorum, dilectum amicum noſtrum cum quibusdam magnis & arduis Excellentiæ noſtræ negotiis exequendis transmittamus ad præſens, fidelitati veſtræ præcipiendo mandamus, quatenus eundem magiſtrum G. cum equitaturis, ſcuteriis, & rebus ſuis ſine alicujus pedagii exactione ire, ſtare & ad Curiam noſtram redire ſecure & libere permittatis: eidem in ſecuro conductu cum expedierit, & ab eo fueritis requiſiti, proviſuri, ob noſtræ Majeſtatis reverentiam.

Cap. XXXVIII.

Quod provideatur cuidam presbytero de vacantibus proventibus.

AD noſtræ Majeſtatis præſentiam accedens A. de N. fidelis noſter, noſtro culmini humiliter ſupplicavit, ut ipſe in quadam

dam eccleſia de N. ad honorem & fidelitatem noſtram fideliter commoretur, deditus & intentus divinis ſervitiis exequendis: & alii clerici qui ſecum in ipſa eccleſia reſidebant, tanquam infideles Peruſini acceſſerint, & cum ipſis rebellibus noſtris jugiter converſentur: ac ipſius eccleſiæ & aliarum eccleſiarum vacantium ejusdem Caſtri proventus, ex conceſſione noſtra ad Commune Caſtri ejusdem devenerint, annuatim ſibi pro ſuæ vitæ ſuſtentatione, divino intuitu providere miſericorditer dignaremur. Nos itaque ipſius poſtulationibus benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus ſi eſt ita, memorato presbytero A. ab univerſitate dicti loci, de bonis & proventibus ejusdem eccleſiæ, in qua ſe aſſerit reſidere, facias in neceſſariis provideri: prout honori noſtri culminis, & qualitati negocii videris expedire.

Cap. XXXIX.

Quod daciæ vel collectæ non auferantur ab his, qui in ſervitio Curiæ commorantur.

AD Majeſtatis noſtræ præſentiam Arnoldus civis Landenſis, fidelis noſter, accedens, expoſuit conquerendo: quod cum ipſe de Celſ. noſtræ mandato in noſtris ſervitiis moraretur, & adhuc fideliter & devote moretur, per quendam Poteſtatem civitatis illius prædeceſſorem tuum, & ejuſdem Communis officiales, bona ſua omnia ſunt extimata, & ejus data creditoribus in ſolutum, in ipſius gravamen & non modicam læſionem. Cum- Daciæ i. e. vectigalia.

que idem Arnoldus fidelis noſter, Majeſtati noſtræ humiliter ſupplicavit ſibi in prædictis ſecundum juſtitiam provideri: nos attendentes, quod his qui de mandato noſtro in noſtris ſervitiis commorantur, & cauſa Reipubl. ſunt abſentes, ſupplicationibus ipſius benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus, ſi tibi conſtiterit, quod idem Arnoldus, cum ad ſervitium noſtrum venit, procuratorem aliquem generalem non dimiſit ad negocia, vel ſpecialem ad iſtud, non permittas familiam ſuam à ſuis creditoribus moleſtari: ſed bona ſua hac occaſione, per aliquem occupari, quousque in ſervitiis noſtris commorans, ad propria revertatur: ſi debita ipſa noveris antequam ad noſtrum ſervitium venerit contraxiſſe: revocando in irritum quicquid per Poteſtatem ipſum & officiales prædictos, contra ipſum, familiam ſuam, & bona ſua inveneris attentatum, poſtquam idem A. venit in noſtris ſervitiis moraturus.

Cap. XL.

Quod hi qui in ſervitio Curiæ commorantur, in familia ſeu rebus ſuis nullatenus moleſtentur.

EXpoſuit Excellentiæ noſtræ B. de N. fidelis noſter, quod cum ipſe in noſtris ſervitiis de mandato noſtro moraretur, vos Poteſtas, & conſilium ejusdem loci, domum & familiam indebitis collectis & exactionibus aggravatis. Quare Majeſtati noſtræ humiliter ſupplicavit, ut ſibi ſuper hoc provide-
re

re de noſtræ benignitatis gratia dignaremur. Cujus ſupplicationibus benignius inclinati, attendentes quod hi, qui in noſtris ſervitiis commorantur, cauſa reipublicæ ſint abſentes, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus quamdiu idem fidelis in noſtris ſervitiis extiterit, domum & familiam ſuam collectis, & exactionibus debitis non gravetis: facientes ei nihilominus emendari, ſi qua ſunt ab eo, vel familia ſua propterea jam ablata.

Cap. XLI.

Capitaneo, ut fiat inquiſitio de quodam qui dicitur fidelis, capto inermi inter infideles.

PRo parte univerſitatis civitatis Aretinæ, fidelium noſtrorum, nuper noſtræ fuit Excellentiæ ſupplicatum: quod cum R. ipſius civitatis civis, in exercitu Peruſinorum noſtrorum rebellium, contra fideles noſtros Fulginates temerarie congregato, inermis captus extiterit, & per te poſtmodum carceris vinculis deputatus: eundem R. taliter captum ad ipſorum Aretinorum devotionem, quam erga noſtræ Celſ. incrementum geſſerunt hactenus, & inceſſanter gerunt fideliter & devote, liberare ab ipſo carcere de noſtra gratia dignaremur. Propter quod ipſius communis ſupplicationibus benignius inclinati, & ipſorum noſtrorum fidelium attendentes devotionem ſinceram & ſervitia gratioſa, fidelitati tuæ mandamus: quatenus de captione ipſius R. videlicet, qualiter & ubi captus extitit, & ſi tunc

ſi tunc erat inermis, ut dictum eſt, diligenter inquiras: & quicquid inde inveneris noſtræ Curiæ reſcripturus: ut per te certificati, circa hoc Celſitudo noſtra procedat, ſicut fuerit procedendum.

Cap. XLII.

Eidem contra eum, qui ſervitiis Curiæ infeſtum ſe exhibet & moleſtum.

QUia noſtræ innotuit Majeſtati quod Jo. de urbe veniens, moraturus in noſtris ſervitiis, contrarius extitit plurimum & infeſtus: fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus ſi tibi conſtiterit de prædictis, memoratum Joh. uti pace & tranquillitate noſtra aliquatenus, non permittas: niſi propter hoc in provincia publicum ſcandalum, ex quo ſervitiis noſtris diſpendium inferatur, poſſet oriri.

Cap. XLIII.

Concluſio ſuper inquiſitione facienda de conditione potentum.

SUpplicarunt Excellentiæ noſtræ fideles noſtri &c. Tuæ igitur fidelitati præcipiendo mandamus, quatenus de conditione potentum, quantitate proventuum petitorum, & quicquid inde Curiæ noſtræ expediat, per inquiſitionem à te diligentiſſime faciendam, plene conſcientiam noſtræ inſtruas Majeſtatis.

Cap.

Cap. XLIV.

Cuidam Communitati, ut credant nunciis, ſuper quod dat eis arbitrium de ſuo regimine.

CUm ad ſalubrem ſtatum noſtrum, & qualitatem negotiorum inſtantium, habendo reſpectum pro regimine veſtro, noſtræ providentiæ committendo, C. de urbe & judicem R. de N. fideles noſtros ad vos ſpeciales nuncios deſtinemus: fidelitati veſtræ mandamus, quatenus quæ idem nuncii noſtri ſuper his oretenus vobis ex parte noſtri culminis retulerint, tanquam ab ore noſtro prolata, firmiter credere, & efficaciter adimplere curetis: ut devotionem veſtram proinde merito commendemus.

Cap. XLV.

Ut reſtituatur poſſeſſio deſtituto, in ſervitiis Curiæ commoranti.

COnquerente Jo. de N. fideli noſtro, noſtra Serenitas intellexit, quod cum ipſe pacifice & quiete teneret in territorio Caſtri de N. quasdam ſuas poſſeſſiones, ad eum rationabiliter pertinentes: Lud. de N. mulier deſtituit eum abſentem & in noſtris ſervitiis, ſicut aſſerit, exiſtentem, poſſeſſionibus antedictis, juris ordine non ſervato. Super quo cum ſupplicaverit, ſibi per noſtram Excellentiam ſecundum juſtitiam ſubveniri: ipſius ſupplicationibus, velut juſtitiam continentibus inclinati,

nati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus ſi tibi conſtiterit ita eſſe, poſſeſſiones ipſas, à muliere præfata, prædicto fideli noſtro reſtitui facias, ut eſt juſtum, ne juſtam ſuper hoc cauſam habeat conquerendi.

Cap. XLVI.

Capitaneo, de proceſſu mittendo & de citatione facienda.

PRo parte univerſitatis Ceſenæ, noſtrorum fidelium, noſtræ fuit Celſitudini nuper oblata querela: quod cum per te ipſum, G. fidelis noſter exciterit in ipſorum Poteſtatem electus, deinde eodem G. amoto, alium eidem in ejusdem Poteſtariæ officio duxeris ſubrogandum, prædicto G. primo electo, pro rato temporis quo in eodem officio ſteterat ſalario per ipſos, ſicut dicunt, integre perſoluto: tu ad ipſius G. poſtulationem, juris ordine non ſervato, Poteſtati & Ambaſiatoribus civitatis illius mandaſti, ut eidem G. de toto ſalario, ipſi per totum annum primo ſtatuto, ſatisfactionem integram facere non poſtponant. Aſſeritur etiam coram nobis per eosdem, quod per literas tuas Thomæ de Mar. &c. ſacri Imperii in Romangia vicario generali, dudum dediſti firmiter in mandatis, pro G. ſuperius nominato, quod mandatum ipſum executioni debeat demandare, in eorum grave præjudicium, & gravamen: ex eo quod reſiduum ſalarium anni præfati, alteri ſubrogato, per ipſos extitit integre perſolutum. Verum cum pro parte

ipſius

ipſius civitatis, in noſtræ Majeſtatis præſentia proponatur, ſe ſuper eisdem gravaminibus à prædicto mandato tuo, ad noſtram audientiam appellaſſe: devotioni tuæ præcipiendo mandamus: quatenus, ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, proceſſum totum coram te habitum de prædictis, ſub tui impreſſione ſigilli, noſtræ Curiæ debeas deſtinare: eidem Thomæ nihilominus mandaturus, ut alium proceſſum quæſtionis ejusdem, coram ipſo habitum, ſi apud te non fuerit, per eum videlicet ad tuam audientiam deſtinatum, ſimiliter certo præfixo termino, ad noſtram Curiam deſtinare procuret: utrique parti per te ipſum certo præfixo termino, quo ſub peremptorio, ſe noſtræ Curiæ repræſentent, in cauſa eadem proceſſuri, prout poſtulat ordo juris. Volumus etiam, ut de die citationis & termino præfigendo, tuis literis Curiam noſtram debeas edocere: & quod appellatione pendente, contra ipſam communitatem nullam facias vel fieri permittas quomodolibet novitatem: cum appellatione pendente nihil debeat innovari.

Cap. XLVII.

Mandat cuidam ut doceat quid expediat de liberatione quorundam.

PEtrus & Johannes de N. fideles noſtri ad noſtram præſentiam venientes, nobis humiliter ſupplicarunt: ut cum ipſorum filii, de Celſ. noſtræ mandato carcere teneantur, & Excel. noſtræ offerant alios eorum filios, pro obſidibus ſe daturos promittentibus ipſis

ipſis perſonaliter nihilominus ſecundario, noſtro culmini fidejuſſoriam cautionem exhibere volentes, ſe de noſtra Curia nullatenus diſceſſuros, niſi de mandato noſtro procederet ſpeciali, dignaremur prædictos eorum filios à dicto carcere liberare. Unde cum pro parte ipſorum ſuper his plenius certificari velimus, inſtans negotium ad te duximus remittendum: tuæ devotioni mandantes, quatenus petentium ipſorum & rei qualitate diligenter inſpecta, quid exinde noſtræ expediat Majeſtati, cautius tuis literis noſtram debeas Excellentiam edocere.

Cap. XLVIII.

Diſrobare, id eſt, ſpoliare.

Concedit licentiam quibusdam mercatoribus, faciendi præſalias contra rebelles, qui eos diſrobaverunt.

UNiverſis &c. Fidelitati veſtræ notum facimus per præſentes, quod B. & M. mercatores de N. fideles noſtri, ad noſtræ Celſitudinis præſentiam venientes, Majeſtati noſtræ humiliter ſupplicarunt: ut quia dum ipſi quandam navim, cum eorum mercibus & rebus aliis valentibus uncias auri centum & plus, Venetias deſtinarent, rebelles noſtri Anconitani, navim ipſam hoſtiliter invadentes, ceperunt eam cum mercibus antedictis: capiendis de bonis ipſorum, quouſque de damno ipſo reſarciantur ad plenum, de noſtra gratia concedere licentiam dignaremur. Nos igitur ſupplicationibus iſtorum benignius inclinati, cum eiſdem fidelibus noſtris damna paſſis deeſſe

deeſſe nolumus, dedimus eis licentiam ac plenariam poteſtatem: ut quamdiu dicti Anconitani in rebellione noſtra perſtiterint, ubique per mare & terram de bonis eorum capiant, quæ non ſunt ad opus Curiæ noſtræ capta vel etiam annotata: ut eorum, quibus ſecuritatis noſtræ literas duximus concedendas, quouſque eis in valore unciarum auri centum, & illatorum damnorum, ſuperius prædictorum noſtrorum rebellium, plenius ſatisfaciat. Quare univerſitati veſtræ præcipiendo mandamus, quatenus ſuper capiendis bonis Anconitanorum, prædictorum noſtrorum rebellium, nullus eos impediat, vel moleſtet: imo ob reverentiam culminis noſtri aſſiſtatis eis ſuper præmiſſis auxilio, conſilio, & favore: dum tamen ad ea, quæ ad opus Curiæ noſtræ capta, vel annotata ſint, ſeu ad eos, quibus ſecuritatis noſtræ literæ, per noſtram Excellentiam ſunt indultæ, manus aliquatenus non extendant.

Cap. XLIX.

Concedit literas ſecuritatis quibusdam mercatoribus, ſub certis conditionibus.

UNiverſis &c. Notum facimus fidelitati veſtræ, quod nos P. & R. civibus & mercatoribus Tudertinis, latores præſentium, fidelibus noſtris, licentiam & ſecuritatem duximus concedendam & per Imperium, & regnum noſtrum ire, morari, & redire valeant, cum mercimoniis & rebus eorum ſalubriter & ſecure, ſalvo jure & conductu Curiæ noſtræ, tam in Imperio, quam in regno, quæ ab eis

integre perſolvantur. Quocirca fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus eosdem P. & R. fideles noſtros, cum tribus equitaturis & duobus ſcuteriis mercimoniis, & rebus eorum eundo, morando & redeundo, ſecure transire & libere permittatis: nullam eis in perſonis vel rebus moleſtiam inferentes, ſeu ab aliis facientes inferri. Dum tamen, attentius caveatur, quod papales literas, vel alicujus de Romana Curia non apportent: de regno prohibita non extrahant: licite extracta ad infideles non deferant: & nihilominus cum eis non diſtrahant vel mercentur, nil machinentur publice vel occulte, in læſionem noſtri nominis vel honoris: ad infidelium terras non divertant, nil eis ferant vel referant verbo vel literis: nec aliquem in eorum ſocietatem ſcienter admittant, ferentem, vel referentem aliquid noſtræ contrarium Majeſtati.

Cap. L.

Concedit nobili mulieri tutrici filiorum, quod poſſit conſtituere procuratorem in cauſa ſua.

IMperialis benevolentia cum fidelium ſubjectorum, & nobilium maxime preces admittit, & ſuum extollit ſolium, & ad ſerviendum devotos animat inceſſanter. Hinc eſt, quod (1) nobilis vir A. de &c. fidelis noſter, pro filia ſua Iſabella, relicta quondam Jacobi Incontrati nutrice (2) filiorum ſuorum, & Jacobi ſupradicti, Majeſtati noſtræ humiliter ſupplicavit: ut de innata gratia & poteſtate nobis

(1) *quod* l. quod cum. (2) *nutrice* l. tutrice.

bis Imperii divinitus impertita, juris civilis rigorem, qui non aliter ſanxit inchoata exerceri certamina, niſi quod judicio inchoato (3), ipſæ principales perſonæ calumniæ ſubeant juramentum vel jusjurandum: rigorem etiam indicentem (4), ne per tutores vel curatores, ante cœptum judicium, poſſint procuratores conſtitui, ſed actores, miſericorditer temperantes: eidem filiæ ſuæ, fideli noſtræ, tutrici filiorum ſuorum, ad proſequendas lites, & explicanda negotia pupillorum in judiciis, & extra judicia per procuratores, ab ipſa tutrice ſtatutos vel ſtatuendos, pro quibus cautionem exponet legitimam, & quod ipſi procuratores in cauſis ipſis ſacramenta præſtent (5) calumniæ, prædictos juris rigores, per noſtram Excellentiam (6) relaxari, tam pie quam (7) miſericorditer mandaremus. Nos autem attendentes grata ſatis & accepta ſervitia, quæ dictus A. & (8) anteceſſores ſui, nobis & Imperio noſtro exhibuerunt hactenus, & exhibent inceſſanter, & in antea de bono in melius exhibere poterit gratiora: conſiderantes etiam nobilitatem mulieris præfatæ, quod (9) virorum cœtibus pro exequendis (10) negotiis pupillorum, ſe honeſte nequeat immiſcere: & ne fœminæ proſequendæ litis obtentu, in matronalis pudoris contumeliam irruant, ſi cogantur maſculorum conventibus vel judiciis intereſſe: cum & le-

(3) *judicio inchoato* l. jurgium inchoatum. (4) *juramentum vel jusjurandum: rigorem etiam indicentem* l. juramenti rigorem & inducentem. (5) *præſtent* l. præſtabunt. (6) *excellentiam* l. licentiam. (7) *tam pie quam* deſunt. (8) *dictus A. &* l. dicti. (9) *quod* l. pro. (10) *pro exequendis* l. proſequendis.

gem meminerimus æditam, quæ propter pudorem & verecundiam fœminarum, eas non ſinit teſtibus vel cœtui publico demonſtrari, ſed per procuratores idoneos, Imperialem poſſint adire clementiam, ad ætatis (11) veniam impetrandam. His & aliis juſtis & honeſtis rationibus inclinati benignius, dicti fidelis noſtri ſupplicationes admiſimus, eidem Iſabellæ filiæ ſuæ de ſpeciali gratia concedentes, ut cauſas & lites pupillorum ſuorum in judicio, & extra judicium, dum tempus tutelæ duraverit, per procuratores ab ea ſtatutos vel ſtatuendos, ac ſi etiam ipſa tutrix hoc faceret, valeat exercere. Eisdem etiam procuratoribus indulgemus (12), ut in litibus in judiciis exercendis ipſi procuratores ſacramenta calumniæ præbeant: cum pro negotiis pupillorum ſe (13) caſus ingeſſerit (14) opportunus, objectione quod principales perſonæ non fuerint vel lege aliqua non obſtante: Statutis etiam civitatis Senarum ceſſantibus in hac parte, & ſpecialiter lege, quæ à principalibus perſonis exigit calumniæ juramentum, & quæ etiam à tutoribus & curatoribus procuratorem prohibet ſtatuendum: dum (15) tamen pro ipſis (16) procuratoribus caveatur, firmum fore ac validum, quod duxerint agitandum: ne judicia ſint ludibria (17), vel authoritate noſtra ſe doleant circumventos, qui cum talibus contraxerunt.

Cap.

(11) *ætatis* abeſt. (12) *indulgemus* deeſt. (13) *ſe* l. ſi ſe. (14) *ingeſſerit* l. interceſſerit. (15) *dum* l. non. (16) *ipſis* l. ipſorum. (17) *ludibria* l. lubrica.

Cap. 51. usque ad 72. deſunt.

Cap. LI.

De ſecuro conductu extra communem formam.

UNiverſis præſentes &c. Cum Adam de &c. fidelem noſtrum, & nuncium cum O. de &c. qui ad Curiam noſtram pro parte ejusdem D. venit, & nunc revertitur ad eundem, pro noſtris ſervitiis tranſmittamus: amicitiam veſtram requirimus, & fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus memoratos A. & O. cum duobus equis & ſcutiferis, ac rebus quas ſecum portant, & habent, permittatis tranſire libere: & eundem A. exinde ad Curiam noſtram redire ſalubriter & ſecure, in ſecuro conductu, quotiens expedierit, & ab eis vel eorum altero fueritis requiſiti: eisdem ob noſtræ reverentiam Majeſtatis ſalubriter proviſuri.

Cap. LII.

Reſpondet cuidam nobili, & commendat proceſſum ipſius.

BEnigne recepit Excellentia noſtra literas, quas noſtro culmini deſtinaſti, & quæ continebantur in eis, intelleximus diligenter. Quod autem te noſtris ſervitiis & beneplacitis, per tuas literas expoſuiſti fideliter & devote: atque ſemper hactenus per fidei complementum, ob noſtræ reverentiam Majeſtatis permanſiſti ſolicitus & intentus: tuam exinde devotionem & motum, duximus merito commendandos, mandantes: quatenus de cætero,

juxta ſolitum circa noſtra ſervitia, tam fideliter quam laudabiliter perſeveres: ut ipſa operum efficacia ſucceſſiva, noſtræ Celſitudini te commendabilem repræſentet.

Cap. LIII.

Capitaneo, ut quaſdam ſuas literas mittat ad alias partes.

CUm pro quibusdam Majeſtatis noſtræ ſervitiis, quinque paria literarum noſtrarum, quibusdam Januenſibus Saonæ commorantibus, noſtris fidelibus, & easdem ad te per tuum nuncium deferendas, eisdem Januenſibus deſtinemus: tuæ devotioni mandamus, quatenus ſtatim receptis præſentibus, præfatas literas eisdem fidelibus noſtris, per velocem & idoneum nuncium tuum transmittere non omittas: taliter cum effectu procurans, quod eædem literæ ad manus ipſorum perveniant, qualibet mora & occaſione remotis.

Cap. LIV.

Eidem, ut citentur ad Curiam, qui injuſte Caſtrum occupaverant aliorum.

PRo parte O. & D. noſtrorum fidelium, noſtro fuit culmini nuper oblata querela: quod cum ipſi ab A. fratre eorum, qui nuper deceſſit, & cui de jure ſuccedunt immediate, Caſtrum de N. per longa tempora tenuiſſent, & poſſediſſent pacifice & quiete: S. de N. P. & F. de N. fideles noſtri, fracta pace & ſe-

& ſecuritate noſtra, Caſtrum ipſum hoſtiliter obſidentes, illud ceperunt, & ad præſens detinent, in ipſorum fratrum manifeſtum præjudicium occupatum. Quod quidem Caſtrum, usque ad diem captionis ipſius, ſicut pro parte ipſorum fratrum expoſitum extitit, coram nobis præfati conquerentes, ſine contentione aliqua poſſederunt. Cum igitur idem fratres velint memoratos S. P. & F. de prædictis in magna noſtra Curia convenire: fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus S. P. & fratres, ex parte Celſitudinis noſtræ, ſub peremptorio termino citare procures: ut 20. die poſt citationem tuam, in magna noſtra Curia debeant comparere, memoratis conquerentibus ſuper prædictis in judicio reſponſuri: eundem terminum conquerentibus ipſis, ut cauſam proſecuturi prædictam contra eos compareant, præfixurus: nec non & diem citationis tuæ, formam præſentium, & coram quibus eos citaveris, tuis literis tuo ſigillo munitis, noſtræ Curiæ reſcripturus.

Cap. LV.

Eidem, de captivis liberandis, juxta priorum continentiam literarum.

THomaſius de Sabaudia comes, dilectus affinis & fidelis noſter, ſuis literis noſtræ expoſuit Majeſtati, quod licet apud Thaurinum, ad ipſius ſupplicationem tibi dederimus in mandatis, ut quoſdam captivos, quos ad ſe pertinere nunc aſſerit, deberes à carceris vinculo liberare: tu poſtmodum plures

alios captivos, de quibus Majeſtatis noſtræ mandatum ſimile recepiſti, & pro quorum liberatione ipſe Comes nullatenus ſupplicavit, à carcere liberando ipſos, pro quibus noſtræ Celſitudini ſupplicavit, liberari [prout ipſe deſcripſit] penitus omiſiſti. Ob quorum liberationem, quia Comes præfatus, nuper Serenitati noſtræ humiliter ſupplicavit: fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus [ſi eſt ita] juxta formam prioris mandati noſtri, eosdem captivos, à nexibus carceris abſolvere non omittas.

Cap. LVI.

Poteſtati Piſanorum, ut cogat quendam ad reſtitutionem depoſiti muli.

Valletus, id eſt, famulus, miniſter.

IN noſtræ Majeſtatis præſentia, B. de N. valletus noſtræ Cameræ, fidelis noſter, conſtitutus expoſuit, quod dudum nobis de partibus Lombardiæ in Thuſciam venientibus apud V. civem Piſanum, quendam ſuum mulum infirmum [ut dicit] curandum dimiſit. Unde cum ad præſens, pro eodem mulo ad ſe in regnum reducendo, idem B. latorem præſentium ſuum transmittit nuntium ſpecialem: fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus memoratum V. ad reſtituendum prædictum mulum, & aſſignandum prædicto nuntio, pro parte & nomine B. præfati, qua convenit, cohertione compellas.

Cap.

Cap. LVII.

Capitaneo, ut nunciet quid ſit faciendum ſuper excontro quorundam obſidum.

SUpplicarunt Excellentiæ noſtræ fideles noſtri, &c. obſides de monte Flaſcone, de mandato noſtro apud Capuam commorantes: ut cum velint pro ſe ipſis excontrum perſonarum condecens exhibere, videlicet fratrem pro fratre, patrem pro filio, vel filium pro patre, nepotem pro patruo, vel patruum pro nepote: licentiam eis taliter excontrandi, de noſtra gratia concedere dignaremur. Quorum ſupplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus per Commune Caſtri præfati, plene certificari ſtudeas, de nominibus & qualitatibus eorum, qui excontrari petunt,& eorum,quos modo prædicto pro eorum excontro dare intendunt: ſtudium diligens habiturus, de inquirenda certitudine veritatis, utrum, ſicut prædictum eſt, frater pro fratre, ac reliqui ſufficientes & idonei tribuantur, ut ex eis videlicet, qui pro excontro offeruntur, æque ſicut pro aliis qui excontrari debent, ſecure noſtræ Curiæ caveatur: ac per literas tuas de nominibus & qualitatibus omnium prædictorum, & ſi per eos, qui dandi ſunt, noſtræ Curiæ æque ſit cautum, noſtram fideliter inſtruas Majeſtatem.

Excontrum, cum obſes obſidis recedentis loco datur.

Cap. LVIII.

Capitaneo, commendans eum quod cepit quendam rebellem.

DEvotionis tuæ literas, quas per P. de N. nuncium tuum, noſtro culmini deſtinaſti, benignitate recepimus conſueta: & intellectis diligenter tam his, quæ eædem literæ continebant, quam his quæ idem nuncius tuus, pro parte tua, noſtræ expoſuit Majeſtati: laudabile ſtudium tuum, & ſolicitudinem condecentem, quæ circa captionem M. de Burgo: qui pro anno præſenti in Parma Poteſtas extitit, per noſtram Excellentiam ordinatus appoſuiſti, merito commendantes, tibi duximus taliter reſpondendum: Quod M. memoratus, cum uno familiari ſuo N. nomine, per noſtram Celſitudinem eſt in Mareſtalla noſtra receptus, de noſtræ Celſitudinis mandato: quem ſupraſcriptus P. nuncius tuus, cum compedibus ferreis, & dextra in manu aſſignavit eidem P. nuncio tuo aſſerente, alium familiarem ejusdem M. nomine G. quem cum eodem M. & alio famulo ſuo, ad noſtram Curiam per eundem tuum nuncium deſtinabas, & de quo tuæ literæ faciebant mentionem, per te tanquam innocentem à Caſali revocatum, & ad te remiſſum firmiter extitiſſe, ſicut eidem tuis literis injunxiſti.

Cap. LIX.

Eidem, ſuper eiſdem.

SOlita benignitate recepit noſtra Serenitas literas, quas miſiſti. Per quas, quia percepimus,

pimus, ad tuam notitiam perveniſſe ex relatione plurium, qui P. nuncio tuo obviaverant, per te cum M. de N. captivo ad noſtram Curiam deſtinato: quod idem P. tui mandati temerarie fines excedens, præfatum M. captum ad ſupplicationes quorundam, per viam ſolutum ducebat: cum te aſſeras eidem dediſſe ſub pœna perſonæ diſtrictius in mandatis, ut ſemper usque ad Curiam noſtram cum compedibus & dextra in manu ducere deberet eundem. Et ideo ſupplicaſti, quod ſi ſic ſine dextra & compedibus dictum M. ad nos perduci contingeret, per eundem non tibi, ſed fatuitati & auſui temerario ejusdem nuncii, noſtra dignaretur aſcribere Celſitudo: tua noſcat devotio, quod idem P. nuncius tuus, ſupradictum M. cum compedibus & dextris in manibus Mareſcalciæ noſtræ caute & fideliter aſſignavit. De eo autem quod induſtria tua ſcripſit, ut ſuper liberatione ipſius cautius procedere deberemus, taliter reſpondemus: quod ad ejusdem liberationem non antea procedemus, per quam te didicerimus, quid inde magis noſtris expediat ſervitiis & honori.

Cap. L X.

Eidem ut cuidam fideli provideat de aliquo regimine.

AD Majeſtatis noſtræ præſentiam veniens B. de Aſſiſio, fidelis noſter, noſtro culmini humiliter ſupplicavit: ut cum pro fide nobis ſervanda à civitate præfata rebellibus noſtris diſcedendo, ad noſtra venerit ſervitia moraturus, & in eisdem ſervitiis permanſerit, & | Aſſiſium, oppidum non longe à Roma diſtans, patria Franciſci Monachi.

& nunc permanet fideliter & devote: pro ſuorum reſtauratione damnorum & remuneratione ſervitiorum, dignaremur de noſtra gratia eidem de aliquo competenti regimine providere. Nos itaque ſupplicationibus ipſius benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus inſpectis tam qualitate perſonæ ſupplicantis ejuſdem, quam ſervitiis noſtris, præfato ſupplicanti de aliquo competenti regimine providere procures, quod ſuæ conveniat qualitati: in quo noſtris ſervitiis utilis & ſibi fructuoſus exiſtat.

Cap. LXI.

Capitaneo ſignificat, quod reſpondeat petitis per nuncium.

TUæ fidelitatis literas, nuper noſtro culmini transmiſſas, benigne recepimus, & ipſarum tenorem pleno collegimus intellectu. Super quibus Joh. nuncius tuus, fidelis noſter, te plenius inſtruet: quem in conſpectu noſtro præſentem, verbotenus duximus informandum.

Cap. LXII.

Eidem, & commendat eum de parato exercitu, & hortatur eum de procedendo.

REcepit Excellentia noſtra literas quas miſiſti, & quæ continebantur in eis, pleno collegimus intellectu. Quod autem ſcripſiſti, te habere paratum exercitum de tota Marchia generalem, ita quod die præſentis menſis Augu-

Auguſti, hoſtiliter eſſe debes in territorio Camerini noſtrorum rebellium, ad reliquias vinearum & arborum proditorum ipſorum totaliter devaſtandas vel ſuccidendas: & quod propter aſſiduam oppreſſionem Marſuadæ, noſtrorum militum in ſancto Severino exiſtentium, iidem proditores noſtri taliter coarctati exiſtunt, quod magnæ famis laborant inopia, ob quam afflictionem ad tantam diſcordiam devenerunt, quod ſæpius adinvicem præliantur. Et quia de rumoribus ipſarum partium nobis gratis, noſtram Celſitudinem inſtruxiſti: de Anconitanis videlicet rebellibus noſtris, ſolicitudinis & induſtriæ tuæ ſtudium evidens plurimum commendamus: fidelitatem tuam ſollicitantes attentius, & hortantes: ut te cum eodem exercitu filiorum noſtrorum, ad depopulationem & devaſtationem Camerini proditorum noſtrorum,, taliter reddas per complementum operis ſolicitum, & attentum: quod de ipſis rebellibus noſtris, in proximo nobis nova ſignifices lætiora, & ipſa operum efficacia te noſtræ Celſitudini, juxta morem ſolitum, commendabilem repræſentet. Super eo vero, quod tuis literis denotaſti, plures ex fidelibus noſtris de Marchia, fuiſſe nuper à Venetis diſrobatos, quod de capiendis de bonis eorum propterea licentiam à te poſtulant, ſicut dicis, tibi duximus taliter reſpondendum: Quod cum ad præſens illuc ſolennes nuncios deſtinemus, curabimus exinde providere, prout honori noſtro, & ſalubritati dictorum fidelium, viderimus convenire.

Cap.

Cap. LXIII.

Eidem, reſpondet ad tranſmiſſa.

INtellectis his, quæ per tuas literas & nuncios, ſuper negotio N. noſtræ Celſitudini noviter intimaſti, licet ex hoc per te uberiorem effectum conſequi ſperaremus, de tuæ tamen fidei conſtantia finaliter diffidere non volentes: ecce quod ſuper ipſo negotio M. & G. fideles noſtros, ad te duximus deſtinandos, tuæ fidelitati mandantes: quatenus, quicquid ipſi pro parte noſtra tibi duxerint proponendum, indubitanter credas, tanquam ab ore noſtro prolatum, reverenter audias, & id efficaciter exequaris.

Cap. LXIV.

Eidem, ut fiat inquiſitio de clandeſtinis damnis, illatis cuidam viduæ.

QUerelam B. de N. viduæ, fidelis noſtræ, recepimus, continentem, quod quidam malefactores, ad damna clandeſtina intrepide animati, ea abſente, & pro ſuis negotiis in Curia noſtra commorante, quandam ſuam vineam, cum arboribus, in N. ſitam, auſu temerario inciderunt. Nolentes igitur, ut propter impunitatem exceſſuum creſcat audacia delinquendi, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus contra malefactores eosdem, ad quos inveniendos omnem, quam poteris, te volumus adhibere ſolicitudinem, inquiſitionem facias diligenter: per quam, ſi poterunt inveniri, procedas immediate juſtitia contra eos.

Cæte-

Cæterum ſi malefactores non poterunt inveniri, damnum eidem mulieri illatum, ab univerſitate ipſius terræ, in cujus territorio damnum extitit perpetratum, ſecundum juſtitiam facias emendari: ne ab hoc iteratam querelam ulterius audiamus.

Cap. LXV.

Eidem, de procuratore ordinando, qui jura Cameræ tueatur, in cauſa quam ſibi committit.

POrrecta G. & V. fidelium noſtrorum culmini noſtro petitio continebat, quod cum haberent, & habeant quaſdam poſſeſſiones & terras laboratorias in confinibus, quas ipſi eorumque antiqui, per longiſſima tempora tenuerunt & poſſederunt pacifice & quiete, nullam ex fructibus eorundem partem Curiæ noſtræ, vel alicujus perſonæ privatæ reddentes: Pandulfus de Phaſanella, proditor noſter, & tunc in ipſis partibus ſacri Imperii vicarius generalis, ſub prætextu cujuſdam inquiſitionis, dudum factæ per procuratores noſtri demanii, autoritate propria & omiſſa juſtitia, quartam partem fecit auferri, in ipſorum G. & V. grave præjudicium & injuriam manifeſtam. Unde cum pro parte ipſorum fuerit noſtræ Celſitudini ſupplicatum, ut eis providere ſuper hoc de noſtræ clementiæ gratia dignaremur: nos eorum ſupplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuæ mandamus, quatenus ſuper prædictis omnibus: prius tamen per te aliquo idoneo & fideli procuratore ſtatuto, qui Curiæ noſtræ jura diligenter & fideliter tueatur: advocato quoque

quoque fiſci noſtri præſente, inquiſitionem facias diligentem, teſtes, probationes, & inſtrumenta ipſorum audias, dictam cauſam ſufficienter inſtructam, cum nominibus procuratoris & advocati fiſci noſtri, ſub tuo ſigillo noſtræ transmiſſurus Cameræ: certo & peremptorio termino parti eidem præfixo, quo cum ipſo proceſſu ſe noſtro conſpectui repræſentent.

Cap. LXVI.

Capitaneo, ut mandet executioni ſententiam, ſicut rationabiliter eſt prolata.

SUpplicavit Excellentiæ noſtræ Ludovicus de &c. fidelis noſter, ut ſententiam definitivam pro eo, contra Commune &c. ſuper quadam pecuniæ ſumma, per H. vicarium tuum latam, & per . . . ut aſſerit confirmatam, executioni mandari de noſtra gratia mandaremus. Cum igitur nihil prodeſſet ferri ſententias, niſi executio debita ſequeretur: tuæ fidelitati mandamus, quatenus, ſi eſt ita, ſententiam ipſam, ſicut rationabiliter eſt prolata, niſi legitima fuerit provocatione ſuſpenſa, facias executioni debitæ demandari. &c.

Cap. LXVII.

Eidem, de ſolvendo conſueto ſalario Poteſtati per Commune.

NIcolaus de Firmo fidelis noſter, ſua nobis petitione monſtravit, quod cum idem ad regimen civitatis Cluſinenſis ſit de mandato noſtræ Majeſtatis aſſumptus, conſilium

lium & Commune civitatis ejuſdem, de ſtatuto & conſueto ſalario ſibi denegavit reſpondere. Quocirca fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus ſi eſt ita, dictum Commune, ut de conſueto & ſtatuto ſalario eidem N. Poteſtati eorum, fideli noſtro, prout aliis eorum Poteſtatibus dare aſſueverunt hactenus, debeant reſpondere, debita cohertione compellas: ita, ut ei non ſuperſit materia conquerendi.

Cap. LXVIII.

Exordium de commendatione fidelium.

UNiverſis hominibus de monte Flaſcone, & ejus Capitaniæ, fidelibus ſuis, præſentes literas &c. Cum vos devotos fideles noſtros, & terram veſtram ſpecialem noſtram Cameram reputemus, ad omne veſtrum bonum & pacificum ſtatum, ac univerſorum noſtrorum ſalubritatem, noſtræ Serenitatis oculos inclinantes: ecce quid &c.

Cap. LXIX.

Capitaneo, ut emendet equum, quem quidam fidelis ſuus perdidit in bello.

CUm per literarum tuarum tenorem, quas noſtræ Excellentiæ deſtinaſti, nuper noſtra intellexit Celſitudo, quod C. de N. fidelis noſter, qui tecum paratus equis & armis, pro noſtris ſervitiis dudum exſtiterit, & adhuc fideliter commoretur: dum ipſe contra Viterbienſes, rebelles noſtros, armata manu

inſiſteret, ob impugnationem ipſorum rebellium, quidam ſuus dextrarius fuerit interfectus: ſuper damnificatione ipſius Conradi fidelis noſtri, providere volentes, ut animoſius ad noſtra ſervitia ejus fidelitas erigatur: tuæ fidelitati præcipiendo mandamus, quatenus de proventibus Curiæ noſtræ, qui ſunt vel erunt per manus tuas, diligenter, ut convenit, quæſito de equi valore, eidem C. dextrarium ipſum, juxta valorem ipſius, ex diligenti inquiſitione inventum, emendare procures.

Cap. LXX.

Reſpondet cuidam nobili ad transmiſſa, & dicit quod equos non vult ſibi dare.

SOlita benignitate recepit noſtra Serenitas literas, quas noſtro culmini deſtinaſti. Et intellectis diligenter tam his, quæ dictæ literæ continebant, quam his, quæ P. de Sora nuncius tuus, pro parte tua de equitaturis per te petitis à nobis, noſtræ retulit Majeſtati, devotioni tuæ taliter reſpondemus: Quod cum partibus Lombardiæ, in quibus aſſidue commoraris, dextrariorum copia conſueverit inveniri: credebamus & credimus, dextrariis te magis noſtræ Curiæ ſubvenire, quam ab Excellentia noſtra tibi petere ſubveniri. Ronchini vero in noſtra Mareſtalla non ſunt ad præſens, quos tibi poſſemus commode deſtinare. Propter quod volumus, ut in ipſis partibus acquiri facias opportunos. De engaſtris autem mittendis, ecce quod in proximo tibi curabimus providere.

Cap.

Cap. LXXI.

Friderico de Antiochia, ut aſſignet vicariam cuidam, quem ipſe præfecit in Capitaneum.

CUm de prudentia & fidelitate Io. de N. fidelis noſtri, confiſi, ipſum Capitaneum loci ipſius duxerimus ſtatuendum: tuæ fidelitati præcipiendo mandamus, quatenus eidem Joanni fideli noſtro, ſic à Majeſtate noſtra Capitaneo ornato, ſtatim receptis præſentibus, Caſtrum ipſum, & Capitaniam, cum captivis, armis, equis, & rebus aliis, ad curiam noſtram pertinentibus, quæ in tua pro parte noſtra retines poteſtate, aſſignare procures, eundem ut convenit inſtructurus, de ipſius cuſtodiæ circumſtantiis, qualitatibus hominum, & moribus regionis: ſicut ad honorem & incrementum noſtræ Celſitudinis, melius & cautius videris expedire. Mandamus præterea, quod de omnibus & ſingulis, quæ tibi aſſignaverimus fieri, facias tria ſcripta conſimilia ad cautelam: unum quoque per te volumus noſtræ Cameræ aſſignari: aliud vero penes te, & aliud penes eundem Johannem fideliter conſervari, ut deponendi per vos ratiocinii noſtri ipſa ſimilis conformitas habeatur.

Cap. LXXII.

Hominibus cujusdam Capitaniæ, ut obediant fideliter Capitaneo ſupradicto.

CUm de prudentia & fidelitate Johan. de N. fidelis noſtri, confiſi, ipſum Caſtellanum Caſtri noſtri montis Flaſconis, &

ejus jurisdictionis Capitaneum, ad præſens duximus ſtatuendum: fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus memorato Joanni fideli noſtro, in omnibus, quæ ad ipſius ſpectant officium, & honoris noſtri reſpiciunt incrementum, tanquam noſtræ perſonæ intendere ac parere firmiter debeatis: ut exinde veſtra ſincera devotio per operum efficaciam, noſtræ Celſitudini pateat more ſolito commendanda. Et ecce, quod eidem fideli noſtro damus oretenus firmiter (1) in mandatis, quod vos omnes & ſingulos in omni bono & pacifico ſtatu, juſtitia & conſuetudinibus approbatis, manutenere debeat, & fideliter obſervare (2).

Cap. LXXIII.

De commendatione fidelium & gratia facienda.

GRata eſt in conſpectu noſtri culminis fides veſtra: quam & devotionis affectus claram (1) exhibet, & demonſtrat officium (2) operum clariorem. Propter quod in ſtabili propoſito gerimus, ſtatum veſtrum gratiæ noſtræ favore protegere, [& noſtræ liberalitatis 3] beneficiis adaugere vel ampliare.

Cap.

(1) *firmiter* abeſt. (2) *obſervare* l. conſervare.
(1) *claram* l. terrarum. (2) *officium* l. affectum.
(3) [ ] l. in noſtris.

Cap. 74. deſunt uſque ad 127.

Cap. LXXIV.

Cuidam nobili, commendatio de fidelitate.

CUm multipliciter dudum fides tua in conſpectu noſtri culminis grata fuit, quam & devotionis &c. ut in alia proxima, uſque in finem. Literas igitur tuas, Majeſtati noſtræ per tuum notarium præſentatas hilariter recepimus, benigne vidimus, & ſingula, quæ continebantur in eis, intelleximus diligenter: vigilem diligentiam tuam & cautelam, quam habes in rebellium evitandis aggreſſibus & evertendis eorum inſidiis, plurimum commendantes.

Cap. LXXV.

De fidelium commendatione, cum promiſſione beneficiorum.

COmmoditatibus fidelium noſtrorum, quos experta fides & gratitudo ſervitiorum, noſtræ Celſitudini præſentat acceptos: quique pro ſervitiis noſtris labores in perſonis ſubeunt, & expenſas in rebus volentes commode providere, &c.

Cap. LXXVI.

Exordium de remuneratione fidelium in filios facienda.

IN exemplum noſtrorum fidelium, ut alii fideles ad noſtra ſervitia promptius animentur, ipſorum fidem poſt mortem eorundem, in ipſorum filios remunerare volentes, mandamus, &c.

Cap. LXXVII.

Capitaneo ſignificat, quomodo miratur, quod non ſignificat proſpera nova de partibus illis.

CUm ſcias, nos libenter intendere & gratius aſpirare circa ſucceſſuum tuorum notitiam, admiratione inducimur non injuſta, quod ſolutionem exercitus Januenſis, & ipſorum ruinam, nobis ſignificare diſtuleris, & alia proſpere contingentia quæ noſtram audientiam delectarent.

Cap. LXXVIII.

Eidem, ut faciat reſtitui bona dirobatis ſupra mare.

BArtholomæus civis Lucanus, fidelis noſter, ad præſentiam noſtram nuper accedens, coram nobis expoſuit cum querela: quod cum ipſe dudum in quadam [Butz] navi Gerhardi de Iſtria, ſuis & ſociorum ſuorum mercibus onerata, ſub ſpe emolumenti à Brunduſio verſus Duratium navigaret, Comati quarundam galearum & barckettarum, de Saone S. R. & G. Jo. & quidam alii, qui cum eis erant, ipſum & ſocios hoſtiliter invadentes, ceperunt eoſdem, & omnia bona quæ habebant ibidem, ipſis prius enormiter tormentatis, ut aſſerit, abſtulerunt. Cumque idem Barth. noſtræ ſupplicaverit Majeſt. ut ſub reſtitutione rerum ſuarum, quibus tunc extitit ſic violenter & temere ſpoliatus, providere ſibi miſericorditer dignaremur: nos ſupplicationibus ipſius beni-

benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus, ſi tibi conſtiterit, bona ſua, quæ ſibi tunc ablata fuerunt, ſeu valorem ipſorum; de quo tibi conſtare volumus, ab illis eiſdem reſtitui facias, qui bonorum ipſorum captores & participes extiterunt: nihilominus cautus exiſtens, ut ſic deliberatione præhabita punias, quos inde videris puniendos, quod delinquentes de prædictis aliquatenus, nequeant de commiſſis exceſſibus gloriari.

Cap. LXXIX.

Cuidam nobili, recommendans eum de fidelitate.

PEr tuorum operum exhibitionem laudabilem, & relationem Richardi de N. fidelis noſtri, plenarie cognoſcentes, quod circa ſervitia noſtra perſeveras & exiſtis fideliter & devote: tuum exinde ſtudium, & ſolicitudinem commendabilem, merito commendamus: ad quæ volumus te deinceps taliter exiſtere, vigilem & intentum, ut ſemper tua ſincera devotio & ſolicitudo intenſa, in noſtræ Majeſtatis præſentia pateat commendanda.

Cap. LXXX.

Capitaneo, ut captivum qui fidejuſſoriam præſtitit cautionem à carcere liberet, reſtitutis ſibi bonis ablatis.

DUdum per literas noſtras judici Gindaleto de Perato noſtro vicario Caſtri ſancti Miniati, fideli noſtro, recolimus mandaviſſe: ut quia dicebatur, quod B. de N. nunc caſtella-

ſtellanus ſancti Miniati, ab hominibus ejuſdem Caſtri ſancti Miniati & ſibi conjunctis, de mandato Pandulphi de Faſanella, tunc Capitanei noſtri in Thuſcia, nunc proditoris noſtri, quandam pecuniæ ſummam & pignora quædam abſtulerat, eum de perſona caperet, & cum diligentia cuſtodiret: ac deinde per prædictos homines, ſuper præmiſſis inquiſitionem faceret diligentem, & factam ad noſtram Curiam deſtinaret. Qui, tanquam mandati noſtri diligens executor, & ipſum B. cepit, & de prædictis inquiſitionem fecit, juxta traditam ſibi formam, & factam ad noſtram Curiam deſtinavit. Verum quia, licet probatum extiterit, & in inquiſitione appareat per eundem, prædictum B. quandam pecuniæ ſummam & quædam pignora recepiſſe [quod idem B. etiam confitetur] de quibus paratum ſe offert Curiæ noſtræ reddere rationem, quia tamen per eum, quod nulla fraus vel dolus ſuper his intervenerit, invenitur nec probatur aliquid aliud contra ipſum, quod ulterius debeat ſqualore noſtri carceris macerari: nec ſicut innoxios injuſte punire volumus, ſic nec volumus impunes relinquere delinquentes: A. & R. filios ejuſdem B. Curia noſtra recepit, pro parte ipſius idoneam fidejuſſoriam cautionem, quod idem B. in Curia noſtra compareat juri pariturus, & de officiis, quæ dudum in partibus Thuſciæ per Curiam noſtram exercuit, pecunia & pignoribus, quæ recepit, perfectam debeat ponere rationem, quam debita ſatisfactio ſubſequatur: fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus ipſum à vinculis facias liberari: bonis

ſuis,

ſuis, quæ ſibi ablata fuerunt tempore captionis ejuſdem, integre reſtitutis: citaturus eundem, ut 20. die poſt citationem tuam, in noſtra præſentia ſe debeat præſentare, redditurum de prædictis omnibus rationem. Diem vero citationis ejuſdem, coram quibus, & quicquid inde feceris, per tuas literas harum ſeriem continentes, nobis reſcribere non poſtponas.

Cap. LXXXI.

Eidem, committit ut appellationem infirmet vel confirmet.

CAuſam appellationis, ad nos interjectæ per B. & S. de Florentia, fideles noſtros, à ſententia condemnationis lata contra eos, in quadam pecuniæ quantitate, per Thomam de Lira Poteſtatem civitatis ejuſdem, ab accuſatione ſeu denunciatione facta contra eos, ab F. & G. fratribus, vel eorum altero, devotioni tuæ duximus committendam: fidelitati tuæ mandantes, quatenus ſententiæ condemnationis ejuſdem & proceſſus tenore diligenter inſpecto, coram te etiam convocatis, qui de jure fuerint evocandi, ſi cauſa ipſa judiciario ordine cognita eſt, & ſententialiter terminata, ad confirmationem vel infirmationem ejuſdem ſententiæ condemnationis procedas, prout de jure fuerit: revocaturus in irritum & quicquid poſt appellationem ipſam inveneris contra juſtitiam attentatum.

Cap. LXXXII.

Fidelibus, confortans eos in fide, & ut credant nuncio.

CUm inter cæteros fideles noſtros, vos & veſtram civitatem, quæ noſtra & Imperii eſt Camera ſpecialis, fovere & manutenere velimus in omnibus, ob fidem puram & devotionem ſinceram, quam ad ſacrum Imperium & perſonam noſtram habuiſtis hactenus, & habetis: propter quod à nobis & Imperio, digna debetis præmia reportare: univerſitatem veſtram per ſacros apices noſtræ Celſitudinis, ad ſervitia noſtra ſolicitandam duximus, & hortandam, mandantes: quatenus ſi honorem Imperii diligitis, & noſtræ Serenitatis gratiam affectatis, in executione ſervitiorum noſtrorum, ſic more ſolito exhibeatis vos in omnibus promptos, deditos & paratos: ut gratia noſtra in vobis, de bono in melius, per exhibitionem operum ſemper creſcat: & veſtra exinde devotio poſſit merito commendari. Cæterum quicquid magiſter G. de Cyra capellanus, notarius & fidelis noſter, quem ad partes ipſas pro noſtris ſervitiis duximus deſtinandum, pro eiſdem ſervitiis noſtris vobis dixerit & injunxerit, tanquam nobis indubitanter veſtra credat devotio, & adimpleat cum effectu.

Cap. LXXXIII.

Cuidam nobili, de eodem.

ECce quod magiſtrum G. de Cyra capellanum, notarium & fidelem noſtrum, pro quibus-

quibuſdam ſervitiis noſtris: quæ licet principaliter nos tangant, tangunt tamen nihilominus per conſequens te, & alios nobiles univerſos & ſingulos orbis terræ: providimus ad te deſtinandum, devotionem tuam monentes attentius, & hortantes, quatenus quicquid idem magiſter G. tibi pro parte noſtra, ſuper eiſdem ſervitiis noſtris dixerit viva voce, tanquam ab ore noſtro prolatum tua indubitanter credat devotio, & adimpleat cum effectu: ut devotionem tuam propterea, prout Excellentiam noſtram decet, ſinceris gratiarum actionibus, & condignis beneficiorum retributionibus proſequamur.

Cap. LXXXIV.

Capitaneo, quod cauſam appellationis & proceſſum debeat ad Curiam deſtinare.

AD noſtram accedens præſentiam B. de N. fidelis noſter, nobis expoſuit cum querela, quod inter B. mulierem neptem ſuam ejus denique curatorem agentes ex parte una, & S. de eodem loco, ex altera, ſuper poſſeſſione cujuſdam ponderis & tenementi, coram G. de Spoleto, in comitatu Firmano judice ordinato, extitit quæſtio ventilata: in qua idem judex de jure procedens, ſicut aſſerit, pro ipſa B. tulit ſententiam contra eum: à qua idem S. ſentiens ſe gravatum, ad tuum examen ſe aſſerit appellaſſe. Poſtmodum vero, quod cum aſſiſtente tibi R. de Lauda, judice & aſſeſſore fideli noſtro, coram te partibus non vocatis,

vocatis, & cauſæ meritis [ut juris eſt] non inſpectis, dictam ſententiam confirmaſti: eundem S. pro expenſis in cauſa ipſa factis pro B. in tribus libris contra juſtitiam condemnando: idem vero S. à dictæ ſententiæ confirmatione, & prædictarum expenſarum, ſentiens indebite ſe gravatum, ad noſtram Curiam appellavit. Quare cum idem S. velit appellationem proſequi ſupradicta in Curia noſtra magna, Fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus proceſſum totum, ſuper præmiſſis habitum, ſub tui impreſſione ſigilli, noſtræ Curiæ deſtinare ſtudeas ſeriatim: ut quod parti per te certo & peremptorio termino aſſignato, qui noſtræ Curiæ ſe debeant præſentare, in præmiſſis proceſſuros juſtitia mediante: & præſertim appellatione pendente contra ipſum S. non facias nec patiaris fieri aliquid novitatis, cum appellatione pendente nihil debeat innovari. Si quid vero poſt appellationem ipſam, ad nos interjectam, attentatum eſt, per te ſeu judices tuos, in ſtatum priſtinum reducturus, prout de jure videris expedire: & de die citationis, & forma noſtram Curiam edocturus.

Cap. LXXXV.

Eidem, ſuper gratia conceſſa cuidam monaſterio, de laborandis quibuſdam terris.

PRo parte Conventus monaſterii ſancti Pauli de Urbe, noſtrorum fidelium, noſtræ fuit Excellentiæ humiliter ſupplicatum: quod cum de Celſitudinis noſtræ mandato, Caſtrum Cortoroli ſancti Juliani Longezæ, & Loſæ

Loſæ [quæ, ſicut dicunt, ad dictos Conventum & monaſterium pertinebant] fuerint devaſtata, certas poſſeſſiones, quæ ſunt de diſtrictu Caſtrorum ipſorum ſecure & quiete laborandi, & ex eis fructus & redditus percipiendi, ad monachorum ibidem degentium ſuſtentationem, licentiam & ſecuritatem noſtram, de noſtræ benignitatis gratia, miſericorditer dignaremur concedere, præſertim cum ex eiſdem poſſeſſionibus & terris, ad Curiam noſtram nullum emolumentum proveniat vel profectus. Quorum ſupplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus, ſi tibi conſtiterit ita eſſe, pro parte Celſitudinis noſtræ licentiam petitam concedas Conventui memorato: ex his poſtmodum contra ipſos nullam moleſtiam illaturus, ſeu ab aliis permiſſurus inferri. Recepturus etiam cautelam ab eis, quod per hoc aliquid nobis, vel fidelibus noſtris diſpendium non feratur.

Cap. LXXXVI.

Capitaneo, ut certam quantitatem ſolvat annuatim cuidam fideli ſuo.

AD Majeſtatis noſtræ præſentiam nuper accedens Ligorius Roberti de Tybere, fidelis noſter, noſtro humiliter culmini ſupplicavit, ut cum Caſtro ſancti Juliani, quod à monaſterio ſancti Pauli, de Urbe tenebat, & cuncta alia bona ſua quæ habebat in partibus Tiburtinis, deſtructa fuerint per guerrarum diſcrimina, nec habeat unde vivat: paupertati ſuæ, & ad vitæ ſuæ ſuſtentationem, digna-

dignaremur miſericorditer providere : ſupplicationibus ejus nos benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus : quatenus de proventibus noſtris, qui ſunt per manus tuas, uſque ad ſummam decem librarum deinde annuatim debeas exhibere eidem : & ab eodem, de his quæ ſibi dederis, apodiſſam idoneam recepturus.

Cap. LXXXVII.

Bladum, id eſt, frumentum.

Eidem, ut concedat licentiam cuidam Communitati vendendi vinum & bladum fidelibus.

PRo parte univerſitatis Ceſanæ noſtrorum fidelium, extitit noſtræ nuper Celſitudini intimatum : quod propter multa ſervitia, erga Majeſtatem noſtram nuper impenſa, per eos debitorum oneribus adeo comprimuntur : quod de mobilibus bonis eorum, præter fructus bladi & vini non habeant unde exolvant debita ſupradicta. Propter quod noſtro culmini humiliter ſupplicarunt, ut de ipſis fructibus bladi & vini, vendendi & aſportandi ad terras fidelium per mare & terram, eisdem licentiam concedere dignaremur, de noſtræ Majeſtatis gratia ſpeciali. Supplicationibus quorum nos benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus : quatenus ab ipſa univerſitate, idonea cautione recepta, quod fructus ipſos ad terras fidelium tantum, & non infidelium deportabunt, nec per alios facient aſportari : ipſis fidelibus noſtris dictam licentiam, pro parte noſtra, uſque ad ſatisfactionem debitorum ipſorum, concedere debeas :

beas: ſicut melius videris ad honorem & cautelam noſtri culminis expedire.

Cap. LXXXVIII.

Eidem, ut nomina Caſtellanorum ſuæ jurisdictionis in ſcriptis transmittat ad Curiam.

CUm nomina Caſtellanorum Juriſdictionis tuæ, & ſtatuta Caſtrorum, juxta quorum tenorem ſeu conſuetudinem, tam Caſtellanis, quam ſervientibus in ſtipendiis, providetur: numerum ſervientium uniuſcujusque Caſtri: & quibus Caſtris de proventibus Curiæ noſtræ, & de quibus proventibus miniſtrantur expenſæ, ſcire volumus: Fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus de prædictis omnibus & ſingulis, noſtram fideliter inſtruas Majeſtatem: nullum ex Caſtellanis, qui nunc ſunt per ipſa caſtra ſtatuti, ſeu in antea per noſtram Excellentiam ſtatuentur, ſine juſſione noſtri culminis aliquatenus amoturus.

Cap. LXXXIX.

Cuidam Poteſtati & Communitati, ut ablata poſt appellationem reſtituere non poſtponat.

ACcedens nuper ad Majeſtatis noſtræ præſentiam Petrus de N. civis Florentinus, fidelis noſter, nobis expoſuit cum querela: quod cum dudum à ſententiis ſeu condemnationibus, per vos ſeu inquiſitores veſtros, qui inter vos Tricatores vulgariter nuncupantur, latis & factis contra eum olim, per Poteſtatem veſtrum, in quadam pecuniæ quantitate,

titate, ad noſtram audientiam appellarit: vos eidem appellationi, ſicut dicit, minimè deferentes, fidejuſſores ſuos ad ſolvendam quandam pecuniæ quantitatem, contra juſtitiam compuliſtis, in ipſius grave præjudicium, & damnum etiam manifeſtum. Qui cum noſtræ Celſitudini humiliter ſupplicarit, ut ſuper præmiſſis dignaremur ſecundum juſtitiam providere: nos, quantumcunque vobis in veſtra juſtitia favorem conferre velimus, à juſtitia tamen diſcedere non valentes, ipſius P. ſupplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus, ſi eſt ita, quicquid poſt appellationem ipſam, ſic interjectam, ad nos per eundem P. vel ſuos fidejuſſores per vos attentatum eſt, in ſtatum priſtinum revocantes, ſine difficultate qualibet pecuniam ipſam, adjectis fidejuſſoribus ſuis extortam, reſtituatis eidem: ita, quod pro his ulterius clamor ipſius P. juſte noſtro culmini non feratur. Nam pro utriusque partis commoditate, nec non præſentibus & conſentientibus nunciis veſtris, in Curia noſtra noveritis cauſam appellationis eandem fore commiſſam, per noſtram Excellentiam P. de N. cognoſcendam, per eum & fine debito terminandam.

Cap. XC.

Concedit licentiam quibusdam fidelibus de infidelibus capiendis, & his qui portant victualia ad rebelles.

UNiverſis &c. Notum fieri fidelitati veſtræ volumus, per præſentes, quod nos tam ad hono-

honorem noſtri culminis, & noſtrorum confuſionem rebellium, quam ad ſupplicationem O. de N. latoris præſentium, fidelis noſtri, qui & fratres ſui, ſcilicet G. & T. pro fide Majeſtatis noſtræ ſervanda, ſicut aſſerit, de Ferraria fuerint ejecti: ſibi & ſuis fratribus antedictis, infideles noſtros & Imperii capiendi, ubicunque eos in mari invenerint, vel in terra, nec non & tam fideles, quam infideles, qui victualia ſeu mercationes ad rebelles noſtros de N. vel ad alias terras noſtrorum rebellium, reportarent, licentiam noſtram duximus concedendam. Quare univerſitati veſtræ præcipiendo mandamus: quatenus in prædictis peragendis, eoſdem fideles noſtros, in nullo impedire ſeu moleſtare aliquatenus præſumentes: ipſis cum expedierit, & ab eis fueritis requiſiti, detis omne auxilium & juvamen, ob noſtræ reverentiam Majeſtatis. Ita tamen, quod occaſione prædicta, ad offenſionem noſtrorum fidelium, & eorum maxime, qui literas noſtræ Serenitatis oſtenderint, manus aliquatenus non extendant.

Cap. XCI.

Capitaneo, ut concedat licentiam portandi & vendendi bladum fidelibus.

AD Majeſtatis noſtræ præſentiam accedens C. de N. fidelis noſter, qui & fratres ſui, ſcilicet G. & T. pro fide Majeſtatis noſtræ ſervanda, expulſi fuerunt de Ferraria, ſicut dicunt, pro ſe ipſo & fratribus ſuis humiliter ſupplicavit, ut ſibi & eis centum ſau-

mas frumenti, de Romangia extrahendi, & illud per totum Ariminum, ad fideles tantum portandi & vendendi, licentiam concedere, de noſtra miſericordia dignaremur. Supplicationibus cujus inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus ab eis idonea cautione recepta, de hominibus Romangiæ, quod bladum ipſum tantum ad terras fidelium deportabunt, & quod à Poteſtate terræ illius, in qua bladum ipſum vendiderint, ad te teſtimoniales literas reportabunt, licentiam ipſam pro parte noſtri culminis concedas eiſdem: ita tamen: quod directum ab eis proinde jus, quod Curiæ noſtræ competit, integre perſolvatur.

Cap. XCII.

Cuidam Communitati, ut quendam heremum non debeant in ſuis juribus moleſtare.

PRo parte conventus heremitarum ſanctæ crucis fontis Avellanæ, noſtrorum fidelium, in noſtra præſentia nuper expoſitum extitit cum querela: quod cum fratres & oblati hoſpitalis de N. eorum proprio motu & libera voluntate, ſubmiſerint & obtulerint ſe & hoſpitale prædictum heremo nominatæ: ſubſequenter per fratres & oblatos eosdem, corporali poſſeſſione tradita, bonorum omnium, hoſpitalis ejuſdem ſyndico, heremi nominatæ: vos autoritate propria, tenuta ſeu poſſeſſione ipſorum bonorum, heremum ipſam contra juſtitiam ſpoliantes, detinetis ea, in ejuſdem heremi gravamen non modicum, & præjudicium manifeſtum. Quare cum per ſyndicum ipſius heremi,

heremi, pro parte ipſius, noſtræ fuerit Excellentiæ humiliter ſupplicatum, ut eiſdem fratribus prædictis, dignaremur ſecundum juſtitiam providere, fidelitati veſtræ præcipiendo mandamus, quatenus, ſi eſt ita, bonis ipſis eiſdem integre reſtitutis, eis prædictorum occaſione, nullam moleſtiam indebite inferatis, bonaque ipſa eos poſſidere, & fructus ex eis percipere permittatis pacifice & quiete: ita, quod propterea noſtro culmini, ipſorum juſta querimonia de vobis ulterius non feratur, & ſi jus aliquod vos habere contenditis, illud apud competentem judicem, ordine judiciario proſequi ſtudeatis.

Cap. XCIII.

Capitaneo, ut non permittat fideles moleſtari contra gratiam eis conceſſam.

PRo parte univerſitatis hominum Montiſculi, fidelium noſtrorum, in noſtra fuit præſentia nuper expoſitum cum querela: quod cum ipſi, qui ultra eorum poſſe circa ejuſdem Caſtri munitionem attentos, ſe fideliter obtulerint, & impendant, prout dudum ab Excellentia noſtra, & noſtris nunciis receperunt, per tempora in mandatis, propter quod conſueverunt ab aliis exactionibus & ſervitiis noſtris eſſe immunes: nuper T. de Colle, fidelis noſter Capitaneus in comitatu Arecii, per dilectum filium noſtrum, Fridericum de Antiochia ordinatus, tam in retinendis equis ad arma, quam de exactione pecuniæ, datis pignoribus ab eiſdem & aliis gravaminibus

contra ipſos illatis, ſicut dicunt, multipliciter aggravantur. Super quibus licet pluries ſcripta tua obtinuerint ad Capitaneum memoratum: idem tamen Capitaneus, mandatis tuis non obtemperans, ab incœptis gravaminibus reſilire contemnit, in ipſius univerſitatis gravamen non modicum, & præjudicium manifeſtum. Cum igitur pro parte eorundem noſtrorum fidelium, noſtræ fuerit Majeſtati humiliter ſupplicatum, ut ipſis fidelibus noſtris tantis gravaminibus oppreſſis, dignaretur noſtra Cel. miſericorditer providere: nos ipſorum ſupplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus, ſi tibi conſtiterit de præmiſſis, exinde facias & procedas, ſicut juri & honori noſtri culminis, & qualitati negocii videris expedire.

Cap. XCIV.

Capitaneo, ut contractum debitum ab Epiſcopo ſolvat, de bonis Epiſcopatus devolutis ad jura fiſci.

Bartholomæus civis Senenſis, pro parte ſua & ſociorum ſuorum, nuper expoſuit coram nobis, quod olim P. Ulteranus Epiſcopus, eis in 50. libris ex cauſa mutui teneretur: eodem Epiſcopo ſublato de medio, non fuit eis de dicta pecunia ſatisfactum. Et quia bona Epiſcopatus ipſius, per noſtram Curiam procurantur, humiliter ſupplicavit, ut de proventibus ipſius Epiſcopatus ſatisfieri de prædicta pecunia mandaremus. Cum igitur noſtrum fiſcum locupletari cum alterius jactura nolumus, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus

nus jura prædictorum creditorum, ſuper hoc audias diligenter. Et ſi tibi conſtiterit de præmiſſis, de proventibus ipſius Epiſcopatus ſolvas eis pecuniam ſupradictam: ita, quod in aliis propterea noſtra Curia non gravetur. Dum tamen per teſtes qualibet exceptione majores, qui numerationi & contractui interfuerunt, eiſdem non per inſtrumenta ſolummodo, de ſupplicantium jure probetur, attentius proviſurus, ne per collulioſas probationes, & inania inſtrumenta ſolutorum jam forſitan debitorum, fiſcum noſtrum contingat in aliquo defraudari.

Cap. XCV.

Eidem, ſuper eodem vel quaſi.

PRo parte M. de N. Majeſtatis noſtræ fidelis, coram Excellentia noſtra nuper expoſitum extitit cum querela: quod cum ipſe mutaverit quondam Firmano Epiſcopo 50. libras, tunc in Firmana eccleſia reſidenti, ſicut patere aſſerit, per publicum inſtrumentum, nec fuerit ſibi de prædictis per eundem Epiſcopum ſeu perſonam aliam pro ejus parte, aliquatenus ſatisfactum: & bona ipſius eccleſiæ, per noſtram Curiam procurentur: pro parte ipſius M. noſtræ fuit Excellentiæ humiliter ſupplicatum, ut ſibi ſuper hoc dignaremur miſericorditer providere. Nos itaque ſupplicationibus ipſius benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus, ſi tibi conſtiterit de præmiſſis, de proventibus eccleſiæ ſupradictæ, quæ Curia noſtra tenet, eidem

M. reſtitui facias pecuniam ſupradictam. Dummodo &c. prout ſupra, in alia.

Cap. XCVI.

Eidem, ut non moleſtet eum qui bona quædam emerat ab Epiſcopo memorato.

AD Majeſtatis noſtræ præſentiam accedens P. de N. fidelis noſter expoſuit cum querela: quod cum olim P. Firmanus Epiſcopus, tum reſidens in Epiſcopatu prædicto, ſibi Poteſtarias quorundam locorum vendiderit, pro certo pretio, cum omnibus juribus ad ipſum ſpectantibus, in quibusdam aliis caſtris, prout in publico inſtrumento venditionis ipſius, inde confecto, per memoratum Epiſcopum ſigillato ſigillo plenius dicitur contineri: tu, ſicut dicit, ſua occupando jura, non permittis eundem Poteſtarias ipſas recipere ac habere, in ipſius grave damnum, & præjudicium manifeſtum. Cumque idem P. fidelis noſter, Excellentiæ noſtræ humiliter ſupplicarit, ut ſibi ſuper præmiſſis, Celſitudo noſtra dignaretur, ſecundum juſtitiam providere: nos ipſius ſupplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus, ſi tibi conſtiterit de præmiſſis, & antequam præfatus Epiſcopus, ex læſa conſcientia reus Marchiam exiverit, venditionem ipſam fecerit eidem: ulterius ipſum, de prædictis, contra juſtitiam, non moleſtes: niſi forſan ad hoc aliqua juſta cauſa te moveat: quam, mandati præſentis executione ſuſpenſa, Curiæ noſtræ ſcribas.

Cap.

Cap. XCVII.

Quibuſdam ut citentur ad Curiam, qui alios in ſua poſſeſſione moleſtant.

PRo parte O. & G. fidelium noſtrorum, noſtræ fuit Excellentiæ nuper oblata querela: quod cum Caſtrum & homines de Lomeria, cum ſuis pertinentiis & viribus, ad eos pertineant pleno jure, A. C. & R. de Pyla, fideles noſtri, ſuper poſſeſſione Caſtri prædicti, ſub prætextu cujusdam privilegii, eis à Majeſtate noſtra conceſſi, eos moleſtant contra juſtitiam, & perturbant. Super quibus, cum conquerentes ipſi, velint ipſos in noſtræ Majeſtatis Curia convenire de jure, fidelitati veſtræ præcipiendo mandamus: quatenus ſupradictos A. C. & R. ex parte culminis noſtri citare curetis, ut 20. die, poſt citationem veſtram, in dicta noſtra Curia comparere, præfatis conquerentibus, de jure in judicio reſponſuri. Diem vero citationis, & formam, tenorem præſentium continentem, & coram quibus eos citaveritis veſtris literis, veſtris ſigillis munitis ſeu publico inſtrumento, noſtræ Curiæ reſcribatis. Quod ſi ad prædicta exequenda, non poſſitis ambo perſonaliter intereſſe, nihilominus alter veſtrum, prædicta fideliter exequatur.

Cap. XCVIII.

Reſpondet cuidam nobili, & commendat eum de fidelitate.

BEnigne recepit Excellentia noſtra literas, quas noſtro culmini deſtinaſti: & plene

 intel-

intellectis univerſis & ſingulis, quæ per eaſdem literas intimaſti, devotionis tuæ conſtantiam merito duximus commendandam: velut qui in ſervitiis noſtris, ab experto te novimus conſtantem & utilem extitiſſe. Et quia nuper te expoſuiſti noſtris beneplacitis & mandatis, dignis te laudibus extollentes, devotionem tuam ſcire volumus: nos in firmo propoſito gerere, ut pro tuis collatis jam dudum noſtræ Serenitati ſervitiis, ſuo tempore rependamus digna tibi & tuis præmia meritorum.

Cap. XCIX.

Capitaneo, ut amoto Caſtellano veteri, Caſtrum novo Caſtellano debeat aſſignare.

CUm de prudentia R. Silangerii, fidelis noſtri, plene confiſi, eum Caſtellanum noſtrum Caſtri Ameliæ duximus ſtatuendum, ut ipſum ad honorem & fidelitatem noſtram cuſtodiat & conſervet: fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus Caſtrum ipſum, arma & res alias omnes, quæ in eo ſunt, eidem R. facias aſſignari: de omnibus, quæ aſſignata fuerint, tria inventaria, ſive tria ſcripta conſimilia fieri faciens ad cautelam: quorum unum penes ſe retineat Caſtellanus: aliud penes eundem R. remaneat: tertium vero per fidelem nuncium, Curiæ noſtræ mittas.

Cap.

Cap. C.

Cuidam nobili, ut procedat ad regimen civitatis, cui præfecit eum in Poteſtatem.

DE tua prudentia & fidelitate confiſi, te Poteſtatem civitatis Eſtuli, pro anno futuro duximus ſtatuendum, fidelitati tuæ mandantes: quatenus ad prædictam civitatem te conferas, & Poteſtariam eandem ad honorem & fidelitatem noſtram, & pacificum ſtatum civitatis ipſius debeas fideliter exercere. Jures nihilominus ſtatuta civitatis ejusdem, & conſueto dari prædeceſſoribus tuis ſalario, ſis contentus. Damus enim conſilio & Communi civitatis ejuſdem, noſtris fidelibus, in mandatis, ut tibi in omnibus, quæ ad ipſius Poteſtariæ officium ſpectare noſcuntur, pro eodem anno intendere debeant, ad honorem & fidelitatem noſtram: tanquam noſtro Poteſtati, à Majeſtate noſtra ſtatuto, debitum & conſuetum tibi ſalarium præſtituri.

Cap. CI.

Communitati civitatis ejusdem, ut eidem Poteſtati pareant & intendant.

CUm de prudentia & fidelitate T. de N. fidelis noſtri, confiſi, ipſum Poteſtatem veſtrum pro anno futuro duximus ſtatuendum: fidelitati veſtræ præcipiendo mandamus, quatenus eidem T. fideli noſtro, in omnibus, quæ ad ejuſdem Poteſtariæ officium ſpectare noſcuntur, pro eodem anno parere &

intendere debeatis ad honorem & fidelitatem: tanquam Poteſtati veſtro, à noſtra Majeſtate ſtatuto, debitum & ſtatutum ſalarium ſibi præſtituri. Damus enim eidem T. noſtris literis in mandatis, ut ad terram ipſam ſe conferat, & Poteſtariam eandem ad honorem & fidelitatem noſtram, debeat fideliter exercere. Juret nihilominus ſtatuta civitatis ejuſdem, & conſueto dari prædeceſſoribus ſuis ſalario, ſit contentus.

Cap. CII.

Reſpondet Capitaneo, & commendat eum de proceſſu facto per eum, & inſtruit qualiter ſit proceſſurus.

CONſueta benignitate recepit Excellentia noſtra literas, per te noſtro culmini deſtinatas, & ipſarum continentiam vidimus diligenter. Super eo ſane quod ſcripſiſti, te propter quædam diverſimode intellecta, de ſtatu civitatis ipſius Taurini, quæ tibi videbantur obliqua, cum magna militum & peditum comitiva, perſonaliter ad terram ipſam greſſus tuos cum feſtinantia direxiſſe: & ibidem hincinde diligenter exquiſitis, & caute quæ ad cautelam ſervitiorum noſtrorum exquirenda penſaſti: quoſdam qui videbantur magis eſſe ſuſpecti, per perſonas capi faciens, ipſos facias cum diligentia cuſtodiri: tuum exinde ſtudium & induſtriam evidentem, quæ circa noſtræ Celſitudinis augmentum, in his & aliis te apponere plene cognoſcimus, non immerito commendamus. Verum, cum tam propter noſtrorum depreſ-

depreſſionem rebellium, [ad quam efficacius inferendam, te ſtudioſum fore credimus; & attentum] quam propter noſtrorum fidelium ſalutarem defenſionem, milites tuæ jurisdictionis dudum impoſitos, equis & armis velimus eſſe munitos ita, quod propter defectum equorum & armorum ſervitia noſtra non remaneant imperfecta :devotioni tuæ præcipiendo mandamus, quatenus ſic inſtanter procures & facias, quod omnes tuæ jurisdictioni ſubjecti, qui equos retinere debent & arma, ſint ipſi, ut convenit, ſine mora qualibet præparati, ad noſtrum ſervitium tecum laudabiliter proceſſuri. Super aliis quæ ſcripſiſti, Celſitudo noſtra providere curabit, prout honori noſtro viderimus expedire. Tu autem in his & aliis ſervitiis noſtris, & maxime circa cuſtodiam civitatis Taurini, taliter pervigil & ſtudioſus intendas, quod ipſa operum potens efficacia, in Excellentiæ noſtræ oculis, te commendabilem, juxta ſolitum, repræſentet.

Cap. CIII.

Significat cuidam nobili proſperum adventum ſuum in regnum.

AD exhilarationem animorum, tui, & aliorum noſtrorum fidelium, quibus hactenus abſentia noſtra ſolicitudinis materiam ſuggerebat, præſentes felicis noſtri reditus nuncios ad te duximus dirigendos: fidelitatem tuam ſcire & gaudere volentes, quod negotiis Italicis ſalubriter pro voto diſpoſitis, die 11. præſentis menſis Martii, apud pontem

pontem Tremulum, cum victorioſo exercitu noſtro feliciter venimus, abinde in regnum [duce Domino] felicibus auſpiciis proceſſuri.

Cap. CIV.

Capitaneo, ut provideat annuatim cuidam nobili de proventibus cujusdam eccleſiæ.

AD noſtræ Majeſtatis præſentiam accedens, Heinricus Embriacus de Janua, fidelis noſter, Celſitudini noſtræ humiliter ſupplicavit: ut cum pro fide culmini noſtro ſervanda, derelictis omnibus bonis ſuis, à civitate ipſa velut à rebellibus noſtris diſcedendo, ad noſtra ſervitia venerit moraturus, in eiſdem permanſerit & permaneat fideliter & devote: nec habeat unde ſe alat & ſuos: ad ſuæ & ſuorum vitæ ſuſtentationem, ſibi proventus eccleſiæ, quos ultra centum libras dicit non aſcendere quantitatem, de noſtræ benignitatis gratia concedere dignaremur. Cujus ſupplicationibus nos benignius inclinati, devotioni tuæ præcipiendo mandamus: quatenus de fructibus ſeu reditibus eccleſiæ ſupradictæ, eidem fideli noſtro facias uſque ad quantitatem prædictam de cætero reſponderi: ut de fide ſervata lætetur, & de ſervanda in antea, magis ad noſtra ſervitia animetur.

Cap. CV.

Item ſuper eodem vel quaſi.

CUm H. & D. Ferrarienſes, devotos fideles noſtros, qui pro fide Majeſtati noſtræ ſervanda, Ferrariam exiverunt, & poſtmodum

modum culmini noſtro grata ſervitia præſtiterunt, ob eorum devotionem ſinceram, à Majeſtate noſtra velimus ad præſens præmium reportare: ut de obſequiis gaudeant tam exhibitis, & ad præſtanda majora magis de cætero animentur: fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus de collecta eccleſiarum juriſdictionis tuæ, juxta mandatum noſtrum celeriter colligenda, eiſdem fidelibus noſtris, pro parte culminis noſtri, mille libras R. Ravennati debeas exhibere: de his, quæ eis dederis, ad cautelam apodiſſam idoneam recepturus.

Cap. CVI.

Cuidam Communitati, ut reſtituant equos eis, qui eos perdiderant in ſervitiis Imperatoris.

SUpplicavit Excellentiæ noſtræ B. de N. fidelis noſter, quod cum ipſe æſtate proxima præterita, in Lombardiam cum aliis militibus à nobis miſſus fuerit, ſicut dicit: & eo ibidem cum duobus equis, pro eiſdem noſtris ſervitiis exiſtente, unus equus ipſius morte naturali perierit, alter fuerit morboſus effectus: per vos qui miſiſtis eundem reſtitutionem ei fieri, tam mortui quam morboſi, juxta ſtatum veſtrum, & ut juſtum eſt, de noſtra gratia mandaremus. Verum cum ſervitia noſtra damnoſa ſibi eſſe non debeant, fidelitati veſtræ præcipiendo mandamus: quatenus, ſi vobis ita eſſe conſtiterit, & quod ſine culpa & negligentia ſua damnum pertulerit, præfato B. fideli noſtro, reſtitutionem equorum ipſorum, ſecundum ſtatutum veſtrum, & ut juſtum eſt, eidem

eidem facere procuretis: ita, quod juſta de cætero non ſuperſit coràm Majeſtate noſtra propterea materia conquerendi.

Cap. CVII.

Forbannitio, facta contra homicidam non comparentem in judicio.

QUia T. de N. citatus extitit pro morte Joh. de N. peremptorie coram nobis, & non comparuit in termino, propterea ſibi aſſignato ipſe, nec pro eo alius, qui ejuſdem vellet abſentiam excuſare: de cujus citatione conſtat nobis per publicum inſtrumentum: ideo propter ejus contumaciam, autoritate officii noſtri, forbannimus eundem in perſona & rebus: ſi hinc ad dies 10. ad mandatum noſtrum venire ceſſaverit, & quicunque eum offenderit ſit impunis.

Cap. CVIII.

Sententia depoſitionis, lata contra quoddam Commune, quia non ceperunt homicidam.

QUia conſtat nobis per inquiſitionem, factam per T. Vicecomitem, de mandato noſtro, quoddam homicidium fuiſſe commiſſum in territorio N. de quodam homine qui P. vocabatur, pro eo quod homicida captus non fuit; nec detentus juxta ordinationem factam per nos, de capiendis & detinendis homicidiariis & malefactoribus; ideo dictam Communitatem & homines dicti Communis, autoritate officii noſtri vobis commiſ-
ſa,

ſa, in 50. libris duximus condemnandos, ſolvendis hinc ad diem 10. Martii receptori pecuniæ, nobis ab Imperiali Celſitudine deputato, ſub pœna dupli, moderata pœna 100. talentorum indicta & impoſita per vos, de condemnandis homicidis, propter modicam quantitatem hominum & eorum etiam paupertatem.

Cap. CIX.

Capitaneo, ut aſſignet proventus duorum Caſtrorum quibusdam, qui propter fidem ſunt exules.

CUm pro gratis & acceptis ſervitiis, quæ Rainerus, & Andreas Petri de Peruſio, fideles noſtri, Majeſtati noſtræ exhibuerunt hactenus, & exhibent inceſſanter: ac propter expertam & indubitatam fidem eorum, quam conſtantem ſemper erga nos & ſervitia noſtra invariabilem ſervaverunt: velimus eos Magnificentiæ noſtræ beneficiis fœcundare: fidelitati tuæ præcipimus, quatenus proventus omnis Montellæ & Montis ſanctæ Mariæ, juriſdictionis tuæ, eisdem fidelibus noſtris ſtatuas de cætero exhiberi: & idem Caſtrum Mantellæ in Caſtellaniam habendum, & tenendum uſque ad triennium, concedas eiſdem. Ita tamen, quod triennio ipſo completo, Caſtrum ipſum ad manus Curiæ noſtræ infallibiliter revertatur.

Cap. CX.

Poteſtati, quod is qui bona ſua inter creditores diſtribuit, ad ſolvendum decimam Curiæ non cogatur.

ALbertini Joannis de N. fidelis Imperii, nobis oblata petitio continebat, quod cum

cum ipſe plures creditores haberet, videns bona ſua ad ſuorum ſolutionem non ſufficere debitorum: inter creditores eoſdem, tam pro quantitate bonorum ſuorum, quam pro quantitate debitorum ipſorum ſine ulla prolixitate cauſarum diſtribuere promiſit bona ſua: nec ideo ſibi remanſerit aliquid, unde ducere valeat vitam ſuam: vos ſeu judex veſter ſibi impotenti & indigenti, ad inſtantiam creditorum ſuorum, præcepta ſicut dicitur faciatis de ſolvendo: ob quæ præcepta de veſtro mandato compellitur ſolvere decimam, noſtram Curiam contingentem. Cum igitur Albertinus prædictus, ſibi ſupplicarit ſuper prædictis ſecundum juſtitiam provideri: vobis Imperii autoritate mandamus, quatenus, ſi vobis conſtiterit de præmiſſis, habita diligenti cautione quod egeat, à præceptis hujuſmodi faciendis, ut juſtum fuerit, deſiſtatis: ne ulterius dictus A. coram nobis cogatur iterare querelam.

Cap. CXI.

Ut capiantur forbanniti, & in Curia præſententur.

UNiverſis vicariis, Poteſtatibus, rectoribus terrarum, & aliis Curiæ Imperialis officialibus Imperii fidelibus, per Thuſciam conſtitutis, præſentes literas inſpecturis &c. Cum ob accuſationem, coram nobis factam per B. & G. de N. contra O. de N. & D. de N. pro eo, quod interfecerant dominum Jacobum, abbatem monaſterii Farfenſis, eorum dominum *ſpiritualem, & eidem Jacobo plu-

* alias ſpecialem.

plurima damna intulerant, ipſius bona temere devaſtando: præfatos O. & D. legitime citari fecerimus, ut coram nobis comparere deberent, ſuperdicta accuſatione de jure in judicio reſponſuri. Et quia ipſi venire, vel ſufficientem pro eis reſponſalem mittere ceſſaverunt: ideo ipſos O. & D. & quemlibet eorum, autoritate Imperii qua fungimur, exbannimus, eorum contumacia & inobedientia exigente: & pro parte Imperialis curiæ, ipſorum bona mandavimus annotari. Propter quod nolentes accuſatos eoſdem, de tam nefando exceſſu remanere aliquatenus impunitos, & ut pœnam pro qualitate delicti agnoſcant, autoritate Imperii prædicta vobis præcipi demandamus: quatenus tam ad ſupplicationem B. accuſatoris præfati, quam etiam ex officio veſtro, pro eo quod mandatis noſtris non obtemperaverint, memoratos O. & D. accuſatos, exbannitos à nobis, per perſonas capere, & eos ſub fida cuſtodia ad noſtram præſentiam deſtinari curetis: malefactores eoſdem in noſtris terris, vel eorum diſtrictibus manere vel eſſe nullatenus permiſſuri.

Cap. CXII.

Forma exbannitionis, factæ contra contumaces accuſatos de homicidio.

IN Dei nomine, amen. Nos Fridericus de Antiochia, accepta querimonia Bernhardi Blanchi de Monteſillis, qui accuſavit Concium filium Gualterii, & D. ejus fratrem, qui interfecerunt dominum Jacobum, abbatem monaſterii Monteſillis, eorum dominum ſpiritua-

ritualem: accuſando etiam eos de incendiis, guaſtis & damnis illatis & factis per eoſdem eidem: ipſos legitime citari fecimus peremptorie per notarium R. de eodem loco pluribus vicibus, ſicut de citatione conſtat per inſtrumenta publica, ejuſdem notarii manu facta. Cumque præfati C. & D. non veniſſent, & diu ultra terminos eis datos fuerint expectati, conſiderata eorum inobedientia & contumacia, Imperiali autoritate qua fungimur eos in perſonis & rebus exbanniendos duximus, ſi dehinc ad decem dies, ad mandata noſtra non venerint evocati [cum de tam criminali exceſſu, coram nobis fuerint accuſati, & ſic contumaces extiterint ut eſt dictum] ita, ut quicunque eos à prædicta die in antea offenderit, habeatur impunis: & quod ipſorum bona ad opus Imperialis Curiæ debeant annotari: ac quod nulla Communitas ſeu perſona eos audeat receptare, ſub pœna eis noſtro arbitrio inferenda, donec in eorum contumacia perſeverant. Datum in &c. ſub anno &c. præſentibus talibus &c. Imperante domino Friderico, Dei gratia Romanorum Imperatore, Hieruſalem & Siciliæ rege. &c.

Cap. CXIII.

Quod nobiles & alii potentes conferant in daciis & collectis cum univerſitate.

TEdi ſoli ſyndici univerſitatis hominum de Caprara, Imperii fidelium, accepimus de novo querelam: quod cum homines ipſi, pluribus & variis Imperialibus ſervitiis, ſint

ſint ultra quam eorum facultates ſuppetant, prægravati, quidam videlicet ejuſdem terræ tam nobiles quam alii, qui ſe cives novos appellant, ſub nobilitatis & citadinanciæ prætextu conferre cum eis, in daciis & collectis prædictis, Imperialibus ſervitiis exequendis, juxta quantitatem facultatis ipſorum recuſant, in ipſius univerſitatis præjudicium & non modicam læſionem. Cumque ſyndicus memoratus, pro parte univerſitatis ejuſdem, eis ſuper præmiſſis poſtulaverit provideri, vobis præcipiendo demandamus: quatenus, ſi vobis conſtiterit ita eſſe, præfatos nobiles [niſi ſpeciali privilegio, eis ab Imperiali Majeſtate conceſſo, ſint exempti] & memoratos, qui ſe cives novos appellant, niſi ſint ex veteribus civibus, qui per pactum inter Curiam & Commune Senenſe initum defenduntur, tempore primæ Poteſtariæ domini N. Guidonis Poteſtatis Senenſis pro quantitate facultatum ſuarum, pro his ſcilicet quæ tenent in ejuſdem terræ territorio, ad communicandum cum univerſitate præfata in daciis & collectis cohertione qua convenit compellatis.

Cap. CXIV.

Forma petitionis, in approbata forma Imperatori porrigenda.

VObis sereniſſ. Imperator, lux fidelium, protector & benefactor eorum. Ego G. de Capiſtrello, qui audacter & ſecure poſſum & debeo dicere ſalva conſcientia coram Deo & vobis, quod ſemper fidelis extiti & exiſto, & ex quo ſervire potui, inceſ-

ſanter in ſervitiis veſtris manſi, & maneo: ſupplico miſericordiæ veſtræ, quod cum olim ego & progenitores mei, fideles veſtri, habuerimus & tenuerimus quartam partem Capiſtrelli, quod nuper ad manum veſtram reduci feciſtis, ſuper hoc miſericorditer providentes, dignemini in æquivalenti ex cambio providere: propter quod in ſervitiis veſtris valeam contitinue permanere, & me cum familia mea, ad honorem veſtrum, & commodum meum ſuſtentare.

Cap. CXV.

Literæ ſecuritatis, & conductus nunciorum, in eundo & redeundo.

UNiverſis &c. Cum R. comitem de Laureto & L. de Landellis, Curiæ noſtræ judicem, latores præſentium, fideles noſtros, ad partes Papiæ, pro quibuſdam arduis Excellentiæ noſtræ ſervitiis deſtinemus: fidelitati veſtræ præcipiendo mandamus, quatenus ipſos, cum equis, familia & rebus eorum, ſecure permittatis in eundo & redeundo tranſire, nullam eis moleſtiam inferentes, nullumque ab eis pedagium exigentes: quinimo ad inquiſitionem eorum in celeri & ſecuro conductu provideatis eiſdem: ita, quod proceſſum ipſorum, ob defectum vel moram conductus, impediri vel tardari aliquatenus non contingat.

Cap. CXVI.

Super inquiſitione facienda, ſuper quibusdam articulis contra moniales.

PRidem contra moniales quaſdam Monaſterii ſancti Juliani de Brixia, ſuper quibuſdam

dam articulis, quos tibi mittimus præſentibus interclusos, per Poteſtatem Cremonæ, fidelem noſtrum, cui exinde ſcripſimus, inquiri mandavimus veritatem. Cumque per inquiſitionem eandem, non fuerit plene noſtro beneplacito ſatisfactum, propter quod inquiſitionem de ipſis volumus iterari: fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus inquiſitionis prædictæ ſuffragio, cum alio ſtudio, auxilio & ſolicitudine tua, veritate de his diligentius inquiſita, ſi moniales ipſas ſuper præmiſſis inveneris culpabiles extitiſſe, eas de locis ejuſdem monaſterii, Epiſcopatus Cremonenſis videlicet, ſtatim ejicias, & bona ipſarum omnia ad opus Curiæ noſtræ capias, & fideliter facias procurari. Si vero per inquiſitionem, quam inde te facere volumus, eas forte repereris ſuper articulis prædictis innoxias: cum pœna tenere non debeat, quos culpa non gravat: moniales ipſas in locis prædictis morari ſalubriter patiaris: bona earum omnia pacifice percepturas. Interim vero dum de prædictis veritas inquiretur, moniales ipſas in aliquo non moleſtes, nec patiaris propterea moleſtari: quicquid feceris de prædictis, noſtræ Curiæ reſcripturus.

Cap. CXVII.

Significat rumores, & hortatur ut ſint fideles.

INtellectis per vos, ex veſtrarum ſerie literarum, & gratanter receptis rumoribus de victoria & triumpho, per vos laudabiliter habitis, contra rebelles Imperii: exinde concipientes gaudium immenſum, ſtudium evidens

dens & ſolicitudinem veſtram non immerito commendamus: cum operum veſtrorum potens efficacia, in his & aliis veſtram fidem ſinceram, quam erga Imperatoriam Majeſtatem inceſſanter geritis & habetis, commendabilem repræſentet. Et ecce quod ad gaudium nova ardua & proſpera, de ſiniſtro caſu, qui accidit de civitate Parmenſi, præſentibus vobis intimamus. Noveritis igitur, nos ab illuſtri viro, domino Heinrico rege Sardiniæ, ſacri Imperii in Romaniola vicario generali &c. recepiſſe literas in hac forma: Heinricus &c. nobili viro Friderico de Antiochia &c. Verum, cum ad omnem exaltationem ſacræ Imperatoriæ Majeſtatis intendere, ſine intermiſſione aliqua teneamur: vos pro parte Sereniſſimi domini patris noſtri, inſtanter requirimus, & ex noſtra rogamus attentius: quatenus, ſicut unquam circa Imperialia obſequia, ad quæ vos deditos fore cognoſcimus, vigiles & ſoliciti extitiſtis, ita ad præſens & in futurum more ſolito & magis, ſi dici poteſt, in omne augmentum & honorem Imperialis culminis, exiſtentes: per operum efficaciam veſter affectus, quaſi in naturam converſus, in conſpectu Sereniſſimi patris noſtri, per effectum operis vos demonſtret, laudabilem & acceptum. Propterea noveritis per præſentes, quod die, qua literæ præfatæ, pro parte ejuſdem regis illuſtris, chariſſimi fratris noſtri, nobis præſentatæ fuerunt: per nuncium noſtrum ſpecialem didicimus manifeſte, quod Sereniſſimus pater noſter apud Taurinum exiſtens: intellecto Parmenſium nefando proceſſu, iter arripuit, verſus Parmam feliciter

liciter veniendo in brachio excelſo, & manu potenti: ad ipſorum Parmenſium malitiam, ut convenit, totaliter refrenandam: & quod jam cum innumerabili exercitu apud caſtra applicuerat contra Parmam, & uſque ad caput pontis civitatis ipſius, quod ad tertiam partem terræ illius capi & expugnari fecerat viriliter & potenter, & ſic ſucceſſive omnem ipſorum fortitudinem expugnando, tam civitatem ipſam, quam comitem Bonifacium, & alios plures Imperii proditores inibi exiſtentes, velut detruſos in eadem, victrix manus Imperii capiet, & conteret prout decet.

Cap. CXVIII.

Item, idem ſuper eisdem, & hortatio ut ſeparent.

VEſtrorum corda, velut Imperii fidelium devotorum, de proſperis novis contingentibus recreari volentes, de ſiniſtro caſu civitatis Parmenſis, qui nuper accidit eorum malitia inſurgente: ut una nobiſcum proinde recreati, ad exaltationem Sereniſſimi patris noſtri, & ad Parmenſium ipſorum malitiam refrenandam, qui viam rectam veræ fidelitatis obliti, in ſiniſtram partem eorum pravos animos converterunt: aſſumptis viris veſtris & aliorum Imperii fidelium jurisdictionis veſtræ, in manu forti contra eos viriliter procedere intendamus: veſtra noſcat ſereniſſima devotio & commendata fidelitas, nos à magnifico viro domino H. illuſtri rege Sardiniæ, recepiſſe literas in hac forma: Nobili viro Fri-

derico de Antiochia &c. Heinricus Dei gratia rex Turrium & Galluri &c. Volentes igitur prædicta omnia, cum celeritate qua convenit exequi, prout decet, vos pro parte Sereniſſimi patris noſtri inſtanter requirimus, & ex noſtra rogamus & hortamur attentius: quatenus ſtatim receptis præſentibus, more ſolito, fideliter & devote circa Imperialia obſequia animorum veſtrorum curam vigilem adhibentes, equis & armis apparatum laudabilem faciatis, quemadmodum tam grande negotium expoſcit ad præſens: ita, quod ad aliam requiſitionem noſtram, tam fideliter quam laudabiliter una nobiſcum, ſi opus fuerit, pro prædictis, ut convenit, veniatis.

Cap. CXIX.

De remiſſione militum, ad ſuum ſervitium transmiſſorum, cum hortatione.

Milites veſtros, ob noſtræ reverentiam Majeſtatis ad noſtram provinciam deſtinatos, vel ad noſtra ſervitia deputatos: quorum ſervitia per operum efficaciam ſatis grata gerimus & accepta: providimus hilariter ad propria remittendos. Et quia vos inter cæteros fideles noſtros de Thuſcia, ad ſervitia fore cognoſcimus promptiores, fidem veſtram conſtantem, quam ab experto cognoſcimus, dignis duximus laudibus multipliciter commendandam. Monentes fidelitatem veſtram pariter & hortantes, quatenus juxta ſolitum circa noſtræ Serenitatis augmentum, & obſequia fructuoſa, veſtra parata exiſtat devotio:

ita,

ita, quod ipſa operum efficacia, ſemper in Excellentiæ noſtræ oculis vos commendabiles repræſentet.

Cap. CXX.

Quod fiat emenda militibus, qui equos & arma, ac res alias in exercitu perdiderunt.

MIlites veſtri, latores præſentium, fideles noſtri, qui dudum per vos ob noſtræ reverentiam Majeſtatis ad noſtra ſervitia deſtinati, in eiſdem ſervitiis fideliter permanſerunt, Excellentiæ noſtræ humiliter ſupplicarunt: ut cum ipſi pro nobis & Communi veſtro in eiſdem ſervitiis, in partibus Cremonenſium, contra Parmenſes & alios proditores noſtros fideliter moram traherent nobiſcum, de mandato noſtri culminis ſpeciali plurima ſint, ut aſſerunt, gravia damna paſſi, tam de equis eorum & rebus aliis amiſſis, quam de deſtructione domorum, ſumptibus propriis in Victoriam factarum: ipſis fidelibus noſtris damna paſſis præfata, dignaretur noſtra Serenitas providere. Cumque eiſdem fidelibus noſtris, qui circa ſervitia noſtra multipliciter laborarunt, obſequia ipſa damnoſa eſſe non debeant, ſed potius fructuoſa: ipſorum ſupplicationibus benignius inclinati, fidelitati veſtræ præcipiendo mandamus: quatenus, ſi vobis conſtiterit de præmiſſis [dummodo non repugnat civitati veſtræ ſtatutum] in juſta & convenienti emenda equorum amiſſorum, & damnorum ipſorum refectione, debeatis eiſdem fidelibus noſtris reſarcire ipſorum labores

& onera, ne ob hoc juſte cogantur culmini noſtro querimoniam iterare, & ad futura obſequia noſtra, & Communis ejuſdem, in poſterum facienda, torpeant in aliquo vel tepeſcant.

Cap. CXXI.

Informatio juſtitiæ ad reſtitutionem rei ablatæ.

GUidonis Gytardini de Arecio, fidelis noſtri, culmini noſtro porrecta petitio continebat: quod cum rector eccleſiæ S. Adriani de civitate ipſa, teneretur ſibi in quadam pecuniæ quantitate, & mota quæſtione per eundem G. ſicut dicit, de debito ſupradicto coram Poteſtate Arecii, tum temporis præſidente, contra rectorem eundem, ejuſdem rectoris contumacia exigente, in poſſeſſionem bonorum eccleſiæ & rectoriæ prædictarum inductus extiteris, mediante juſtitia per Poteſtatem præfatum: nunc L. qui ipſius eccleſiæ rectorem ſe dicit, poſſeſſionem quam ab eodem G. per violentiam abſtulit, & eam detinet occupatam, in ipſius G. præjudicium & gravamen. Eodem G. tamen in noſtra præſentia proponente, quod, licet contra prædictum L. de ablata ſibi poſſeſſione coram Poteſtate Aretino querimoniam poſuiſſet: idem L. allegans privilegium clericale, ſub ipſius Poteſtatis examine, præfato G. recuſavit de juſtitia reſpondere. Cum igitur idem L. conquerens, ſibi ſuper hoc ſecundum juſtitiam ſupplicavit provideri: nos ipſius ſupplicationibus benignius inclinati, fidelitatem veſtram requirendam

rendam duximus & monendam, diſtricte mandantes: quatenus coram vobis partibus, & qui de jure fuerint evocandi, legitime convocatis, cauſam audiatis, eandem ipſam terminaturi celeriter, prout poſtulat ordo juris: ne pro defectu juſtitiæ, alteri partium juſta ſit de vobis materia conquerendi.

Cap. CXXII.

Reſponſalis in brevi forma.

BEnigne receptis literis, quas nuper tua devotio noſtro culmini deſtinavit, ſuper omnibus & ſingulis quæ ipſarum tenor explicuit, per V. de Marchia, dilectum fidelem noſtrum, quem dudum ad partes ipſas tranſmiſimus, beneplacitum noſtrum plene tibi recolimus direxiſſe. &c.

Cap. CXXIII.

Item de eodem, & ſignificat ſe iturum ad partes illas.

DIligenter audivimus ſingula, quæ literarum tuarum, magiſtro Petro de Vineis directarum, tenor expreſſit. Noveris itaque beneplaciti noſtri eſſe, ut cum ſimus in firmo propoſito veniendi Cremonam in brevi, captivus ille, quem eiſdem tuis literis nominaſti, ibidem coram noſtra præſentia debeat comparere.

Cap.

Cap. CXXIV.

Informatio juſtitiæ de non moleſtandis religioſis, contra privilegium & ſtatutum.

PRo parte Prioris, & fratrum hoſpitalis ſancti Johannis Hieroſolymitani, in Piſis, cum querela noſtræ fuit expoſitum Majeſtati: quod cum domus ipſa à Majeſtate noſtra privilegium immunitatis obtinuerit, de non conferendo in aliquibus exactionibus tributorum & collectarum communi Piſano, ratione poſſeſſionum & rerum ipſarum, quas in civitate ipſa habent & tenent: per te & ordinationes tuas ad præſens, ſicut dicunt, contra ejuſdem privilegii noſtri, & ſtatuti ejuſdem civitatis tenorem compellas eoſdem ad exactiones præfatas indebite perſolvendas. Cumque ſupplicarint idem Prior & fratres, ſibi ſuper hoc ſecundum juſtitiam provideri: ſupplicationibus eorum benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus, ſi eſt ita, contra ipſorum privilegii & ſtatuti tenorem memoratos Priorem & fratres, ad perſolvendas exactiones ipſas, indebite non compellas, nec permittas eos contra hoc in aliquibus moleſtari: & ſi quid præterea eſt ab eis injuſte ablatum, eiſdem reſtitui facias, ut eſt juſtum.

Cap. CXXV.

Reſponſalis commendationis de præteritis, & hortans ad futura.

GRatanter recepimus devotionis veſtræ literas, quas nuper culmini noſtro fideliter

ter deſtinaſtis : & quæ continebantur in eis, diligenter noſtra Serenitas intellexit. Quod autem per literarum ipſarum tenorem demonſtratum accepimus, fidelitatem & devotionem veſtram ; quam conſtantem & ſinceram erga Majeſtatem noſtram vigere cognoſcimus ab experto, de Serenitatis noſtræ ſtatu felici congaudere : & quod juxta requiſitionem dilecti filii noſtri, Friderici de Antiochia, baliſtarios centum armipotentes, ad Prati cuſtodiam veſtra devotio deſtinavit, ibidem pro noſtris ſervitiis moraturos, ſtudium & ſolicitudinem veſtram proinde merito duximus commendandam : fidelitatem veſtram, quæ ſemper circa obſequia noſtra, inter cæteros fideles Thuſciæ fulgere, per evidentem operis efficaciam conſuevit, monentes pariter & hortantes : ut ſemper more ſolito ad noſtræ Majeſtatis augmentum, & grata culmini noſtro præſtanda ſervitia, vos offeratis cum effectu laudabili, tam voluntarios quam paratos : ita, quod ſemper in Excellentiæ noſtræ oculis, ipſa operum efficacia fidem veſtram commendabilem repræſentet.

Cap. CXXVI.

Fidelibus ſuis Thuſciæ, ut obediant Capitaneo quem mittit.

CUm pro congregando felici exercitu, ad extremam depopulationem noſtrorum rebellium, tempore congruenti : eo videlicet, quo reges ſolent ad bella procedere : ad partes Thuſciæ, quæ inter cæteras partes & membra Imperii, membrum nobile reputantur,

tur, Marinum de Ebulo, dilectum fidelem noſtrum, loco & vice noſtra, providerimus deſtinandum: univerſitatem veſtram monemus attente, firmiter præcipiendo mandantes: quatenus ſicut gratiam noſtram charam habetis, & ullo unquam tempore in oculis Majeſtatis noſtræ cupitis complacere, pro præſtitis hactenus & acceptis ſervitiis, & pro his quæ præſtare vos expedit, in præſenti magnifica præmia recepturi: prædictum Marinum fidelem noſtrum recipientes alacriter, ſicut decet, omnia ea quæ idem M. ex parte noſtra præceperit, tanquam ab ore noſtro prolata, indubitabiliter devotio veſtra credat & adimpleat cum effectu, ut pro inſtantibus ſervitiis, per vos culmini noſtro præſtitis, & pro præſtandis in antea, veſtræ devotionis ſinceritas imprimatur perpetuo viſceribus cordis noſtri.

Cap. CXXVII.

Fidelibus, commendans eos de fide, & animat eos in ipſa.

QUia ſicut ex relatione Thomæ de Marino, ſacri Imperii in Romangia Capitanei generalis, dilecti fidelis noſtri, nuper accepimus, & nos etiam ex operum laudabilium teſtimonio certi ſumus, circa ſervitia noſtra diligenter intenditis, & honorem noſtrum efficaciter procuratis: digna vos laude proſequimur, & noſtri favoris gratiam tanto vobis hilarius pollicemur, quanto præſentium negotiorum & temporis tempeſtate penſata, gratiora nunc noſtrorum fidelium obſequia repu-

reputamus. Devotionis itaque veſtræ conſtantiam, de qua plene confidimus, animamus attente: quatenus ſic circa omnia, quæ honoris noſtri commoda, & rebellium noſtrorum confuſionem reſpiciunt, more ſolito robur, vires, & animos excitetis: quod veſtræ devotionis integritas, de bono ſemper in melius clareat coram nobis, & ad compenſandam fidem veſtram dignis retributionibus præmiorum, noſtræ munificentiæ dextera quaſi per debitum inducatur.

Cap. CXXVIII.

Cauda concluſionis, quæ apponitur in cæteris literis commiſſionis.

FIdelitati tuæ duximus committendum, ut creditorum & debitorum, nec non & negotiorum & temporum conditionibus & qualitate penſatis, id cum ſalubri deliberatione diſponere, quod juri & honori noſtro videris expedire.

Cap. CXXIX.

Rex Conradus ſignificat fidelibus ſuis regnicolis adventum ſuum, de Alamannia in regnum.

NObis in voto gerentibus, proſcriptis ſuperſtitioſæ dilationis diſpendiis, poſt paternæ, quinimmo dominicæ lugubrem fatalitatis eventum, felices Majeſtatis noſtræ greſſus dirigere celeriter, in hereditarii regni noſtri dulces applauſus: ut ex diſpendioſo mortis excidio, corda noſtrorum fidelium doloris

loris impulſus exaggerans, non magis proclivis ad gemitum, quam ad caſum, adventus noſtri tripudio prævio, & de Majeſtatis noſtræ deſiderata præſentia, dignæ conſolationis ſumpto remedio, celerius ſedaretur. Obſtitit verumtamen votis noſtris, retardans in poſterum noſtræ voluntatis affectum, improviſum ſacri Imperii regimen, divina clementia Magnificentiæ noſtræ ditioni ſubmiſſum. Cujus non contemnenda religio, debitæ gubernationis habena ſubmiſſa, inconſulte relinqui non poterat, nec conniventibus oculis præteriri. Sub cujus ſalubri regimine proviſa noſtræ ſolicitudinis linea, non ſine grandi intranea conſultatione librata, prout nobis digna ſuggeſſit proviſio: ſub cujus potentia celebri vita potimur, & vincimus, fortuna noſtris arridente proceſſibus: viribus hoſtium imperioſe confractis, quinimmo protinus enervatis, ad ſalubris centrum gubernationis ducet, & ſtatus: ut nec damni diſpendium, nec culpæ contagium, otio negligentiæ relegato, in Imperii gubernatione continget. His igitur divina conſummatione peractis, adventum noſtrum in regnum, votivis affectibus à noſtris fidelibus devotius & diutius expectatum, antequam præſentis menſis ſpatium lapſus dierum enumeret, prompte promittimus, dubitatione vacuum, & dilatione ſecluſum.

Cap. CXXX.

Item commendat Panormitanos de fidelitate, & regratiatur eis de oblata pecunia.

Licet à primis parentibus in vos fidei transfuſæ ſinceritas, erga claræ memoriæ dominum

minum patrem noſtrum, laudabilibus probata ſervitiis, & usque ad tempus felicis noſtri continuata regiminis, ad aures noſtras tam operum exhibitione veſtrorum, quam aliorum relatibus & ipſius famæ propalatione pervenerit: nuper tamen, ex inſinuatione Petri Rufi de Calabria comitis Catanzari, & regni Siciliæ Mareſcalci, dilecti alumni, fidelis & familiaris noſtri, proponentis coram noſtræ Serenitatis aſpectu, de fervore veſtræ devotionis & fidei: poſt curam primi cultoris ſubtractam vobis fataliter, illud infallibiliter intuemur, quod de vobis quaſi per ſpeculum in ænigmate videbamus. Scimus enim ex teſtimonio ſuo, qualiter ipſum ad vos, pro noſtris ſervitiis venientem, in alacritate & reverentia, ultra fidei debitum, ob honorem noſtri culminis recepiſtis: & ad faciendam ſibi pro parte Curiæ noſtræ promiſſionem, de certa pecuniæ quantitate, nulla ipſius requiſitione præambula, ſed ſolo fidelitatis ardore, & motu gratuitæ voluntatis inducti: non contenti promiſſione verbali, ſed procedentes ad actum, & voluntatem verbis expoſitam opere comprobantes, quantitatem promiſſam collatione inter vos habita colligere incœpiſtis, eidem Comiti pro parte noſtræ Curiæ aſſignandam. O generoſa planta, fructifera, quæ carens ad tempus plantatoris induſtria, ventorum impulſum non timuit, nec quaſſationis paſſa eſt detrimentum: & ſic grata maturitate placidos nobis fructus adducit, quod fructuoſa noſtris præſentata primordiis, fluentis gratitudinis copiam afferat, & ſub cultore idoneo, ipſius ſuffulta nutricibus reviviſcat.

ſcat. Gaudemus itaque in vobis, & in hoc ad congaudendum vos nobis inducimus: quod ſicut Curiæ noſtræ opportunitates inſtantes tam votivo, quam gratuito præveniſtis obſequio: ſic beneficia noſtra, quæ benemeriti fiducialiter à nobis expectant, devotionem veſtram ſpecialiter (1) inter fideles alios proſequetur (2).

Cap. CXXXI.

Secretario Siciliæ, ut faciat reſtitui bona patris proditoris, filio fideli.

FIdelium noſtrorum æterna memoria, noſtro recondita pectore, quanquam natura ſuum officium exequente, per ſolutionem debiti carnis ab obſequiis devotionis noſtræ quieſcat: ex fonte tamen noſtræ ac innatæ clementiæ liquidum favoris rivulum, quem pater omnium ex gratia meruit, humana & benigna compaſſione percipimus dirivari miſericorditer ad hæredes (1). Sicque in perpetuum apparent vivere, dum in domino mors eorum & merita in hominibus reponantur. Ut autem noveris fidem Johann. Durdi de Meſſana, fidelis noſtri, in beneplacitis noſtris ex opere claruiſſe: cujus obitum nobis diſplicuiſſe referare dignamur: ex meritis quæ in eo vivente comprehendimus (2), dum ex fide memorialiter vivit in nobis: volumus, & præſentium tibi tenore (3) mandamus, quatenus Debalio filio & hæredi Johannis prædicti, te nullatenus,

(1) *ſpecialiter* l. ſpeciali. (2) *proſequetur* l. proſequetur effectu. (1) *miſericorditer ad hæredes* l. merito ad nepotes. (2) *quæ in eo vivente comprehendimus* l. quem in Deo vivere credimus. (3) *tibi tenore* l. auctoritate.

latenus intromittens, ipſum per Raji fratrem ejus, fidelem noſtrum, conſtitutione noſtra ſuper hoc ædita non obſtante, de ſpeciali gratia noſtra geri, & procurari permittas: prædictis fratri & hæredibus ſuis, fidelibus noſtris, in eorum viribus (4), perſonis & rebus, ob defectum ejuſdem Johannis, injuriam vel gravamen inferri aliquatenus non paſſurus: immo in omnibus, quibus honoris noſtri zelus & fides præfatos defendi & manuteneri voluerit, eis ſtudeas ob noſtræ reverentiam Majeſtatis adeſſe.

Cap. CXXXII.

Magiſtro juſtitiario, de diſtributione generalis collectæ.

ETſi clementiæ noſtræ, motum (1) firmumque propoſitum regnicolarum noſtrorum fidelium taciturnitas (2) humilis, & devota eorum exhortatio (3) exonerationem meruit (4): quia tamen neceſſitas utilis, quam inſtantis temporis qualitate proſequimur, propoſitum in hoc noſtræ Majeſtatis abducit, quod (5) eorum certa ſubſidia concordi voluntate votorum omnium in complementum noſtri beneplaciti concurſu ſecuri, ſic confidenter accedimus (6), ac ſi manus ad ſcrinia (7) noſtræ Cameræ mitteremus. Ideoque fidelitati tuæ firmiter & diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus quantitatem præſentibus interclusam,

(4) *viribus* l. juribus. (1) *motum* l. notum. (2) *taciturnitas* abeſt. (3) *exhortatio* abeſt (4) *meruit* l. commoverit. (5) *quod* l. ad. (6) *accedimus* l. attendimus. (7) *ſcrinia* l. ſomnia.

cluſam, per ſingulos juſtitiariatus decretæ tibi provinciæ, per juſtitiarios, autoritate noſtra mandes imponi: viam & modum omnem excogitans, qualiter taxanda qualitas (8) æqualiter diſtribuatur inter univerſos, & ſingulos, ad facultatem cujuslibet debitum (9) habendo reſpectum. Sic enim nullus graviter offeret (10), quod ſub æqualitate perſolvet.

Cap. CXXXIII.

Increpando ſcribit rationalibus ſuis Apuliæ, ſuper mittenda pecunia, & ut obediant nuncio.

DIſcedentes dudum de regno noſtro feliciter, præſentes ibidem haberi credidimus. Sed, prout ab experto cognoſcimus, utinam (1) præſentes alicubi ſeu viventes & validi crederemur, quin potius [quod dolentes & verecundi referimus] tanquam ſi vos & officiales alios, ſalutis & vitæ noſtræ cautos ſolicitudo non redderet neceſſaria, victui noſtro ſubducitis, ut ne dum honorifice vincere (2), ſed neceſſario vivere non poſſimus. Ad excitandam igitur veſtram & aliorum noſtrorum officialium, tam perniciosſam ipſius (3) perſonæ veſtræ deſidiam, venerabilem Patenſem Epiſcopum, fidelem noſtrum, in regno providimus deſtinandum. Ad cujus adventum præter mittentis Imperium, miſſæ perſonæ vos qualitas moveat: quam velut obſequiis Curiæ noſtræ perutilem, à noſtris aſpectibus ſeparamus

(8) *qualitas* l. quantitas. (9) *debitum* abeſt. (10) *graviter offeret* l. gemuit quod offerret. (1) *utinam* l. ubi. (2) *vincere* abeſt. (3) *ipſius* abeſt.

mus (4) inviti: niſi (5) quod eo uſque nos neceſſitas ipſa perduxerat, quod corporis noſtri partem [ſi fieri poſſet ſalubriter, & natura permitteret] neceſſario miſiſſemus, quod totum & integrum è vicino vobis, cum palma deſideratæ victoriæ pollicemur. Quicquid denique dictus Epiſcopus ſuper his, vobis ex parte noſtra dixerit & mandaverit, indubitanter credere, & efficaciter percomplere curetis.

Cap. CXXXIV.

Fidelibus ſuis, ut ei quem mittit obediant ad exigendam pecuniam ab officialibus.

INter ardua rerum molimina, quæ ad honorem noſtrum, & perpetuam noſtrorum fidelium pacem, laudabilibus inchoata principiis, autore Domino fine jam concluſimus concupito, devotionem fidelium regni noſtri: quam ſemper corpore, rebus & animo nobis adfuiſſe gaudemus, & in magnis quibuslibet, quæ potentia noſtra peregit, ſpecialem eſſe ac præcipuam gloriatur: tanto nunc fiducialius providimus requirendam, quanto negotiorum moles expoſcit, & fideles noſtros, ex laudabili eorum quæ imminent complemento, gratos nobis, aliisque reddere diſponimus glorioſos. Cum igitur ab univerſis officialibus noſtris ipſarum partium, tam præteritis, quam præſentibus ſubventionem requiri mandemus ad præſens: cum non (1) ſit incongruum, ut qui per nos & in noſtris ſervitiis

 ſunt

(4) *à noſtris aſpectibus ſeparamus* l. & noſtris affectibus ſperabamus. (5) *niſi* abeſt. (1) *non* abeſt.

ſunt promoti, ſubveniendo nobis bonorum ſuorum largitione autorem nos ſentiant, & cognoſcant: confiſi de prudentia & fidelitate Rogerii de Raji fidelis noſtri, eum ad partes ipſas ad hoc ſpecialiter duximus deſtinandum. Cui commiſimus & firmiter dedimus in mandatis, ut ſecundum tenorem ſcripti taxationis, factæ in Curia noſtra, quod ſibi ſub ſigillo noſtræ Majeſtatis fecimus aſſignari, à ſingulis inſtanter requirat & exigat: & aliis etiam qui dudum officium Curiæ noſtræ exercuerunt, pro tempore, niſi ſcripti inveniantur in prædicto ſcripto taxationis, cum conſilio & proviſione aliorum fidelium noſtrorum, quos ad hoc duxerit requirendos, taxationem faciat debitam, & ſtatim ſicut facta fuerit requirat inſtanter & exigat ab eiſdem: compellendo prædictos omnes ad ſolutionem taxationis ſibi impoſitæ, per omnia bona ſua & etiam per perſonas (2), prout melius viderit expedire: quo impoſita pecunia citius habeatur, nulli ſuper hoc deferendo perſonæ, nec alicujus faciem reverendo. Quocirca fidelitati veſtræ ſub obtentu gratiæ noſtræ firmiter & diſtricte præcipiendo mandamus: quatenus eidem Rogerio fideli noſtro, tam ſuper inſtanti ſolutione taxationis, quæ facta eſt de nobis (3), reſpondere, parere & intendere debeatis, quam ſuper præſtando ſibi conſilio, auxilio, & favore ad requiſitionem & ordinationem ipſius, ſuper agendis aliis aſſiſtere debeatis: ut ſervitium ipſum ſibi commiſſum celeri poſſit executioni mandari, & vos de ſtudio commendare poſſimus.

Cap.

(2) *etiam per perſonas* l. in perſona. (3) *nobis* l. vobis.

Cap. CXXXV.

Exprobrat Romanis, qui noluerunt acquieſcere monitis ſuis, & ut credant nunciis.

ROmanus honor, urbis gloria, & incrementum populi Romani, adeo Cæſareæ ſolicitudini tenaciter adhæſerunt, ut ad eorum promotionem frequenter literas, & inceſſanter legatos etiam mitteremus, per quos & quas noſtram (1) ſumus conati vos (2) inſtruere & docere benevolentiam & favorem: ut Romanus princeps auctricem ſui nominis, & effectus Romam excelleret (3), & Romanum populum, qui omnem poteſtatem in ſuum Imperatorem contulit, præ cæteris gentibus exaltaret. Et ò utinam veſtræ generalis (4) & unicæ devotionis affectus propoſito, & votis (5) noſtris votivis concurriſſet, ut velletis benevole proſequi noſtram benevolentiam, & favorem, ut ob auditores in tantum tantæ propoſitæ gratitudinis (6) non eſſetis. Nam ut & in admirationem tranſeat univerſis, nedum proximis, ſed remotis, quod Romani principis monita, conſilium & promiſſa conniventibus oculis pertranſiſtis, & oblata (7) noſtri favoris affectio reddat vos inexcuſabiles apud omnes, quod Romani Romanorum Imperatorem reipublicæ avidum, in incremento audire vel ſequi diſſimulaverunt, ad eorum commodum & profectum. Nolentes igitur circa vos, à favore deſiſtere conſueto, ad

(1) *noſtram* l. Majeſtatem noſtram. (2) *vos* abeſt. (3) *excelleret* l. extolleret. (4) *generalis* l. generalitatis. (5) *votis* abeſt. (6) *gratitudinis* l. ingratitudinis. (7) *oblata* l. obliti.

ad vos N. & N. de noſtro latere duximus deſtinandos, qui vos omnes emergentia quædam (8) pro parte noſtra perdoceant, & ut favorabiles affectus noſtros ad veſtros (9) publicos honores exponant. Quare mandamus devotioni veſtræ, quatenus ea quæ vobis (10) dixerint firmiter credere, & effectu proſequente complere non inefficaciter debeatis (11).

Cap. CXXXVI.

De commendatione regni Siciliæ, & ordinatione juſtitiæ.

Occupatis nobis circa totius reipublicæ curas, & delicioſum nihil aut modicum valentibus cogitare, non ſunt laborum additamenta (1), ſed requies, quæ ad componendum ſtatum regni noſtri Siciliæ cogitamus: utpote qui inter alia (2), quæ juribus noſtris paternæ ſucceſſionis reliquerat debitum, vel fortunæ felicitas acquiſitionibus poſtmodum aggregavit, regnum ipſum præ cæteris velut electum quoddam viridarium inter agros, cura præcipua colere diſponamus. Ad illud potiſſime ſatagentes, ut eradicatis in totum amaritudinis fructibus & nocivis in eo, pacis & juſtitiæ robore (3) ſic affluenter, ſic provide nutrirentur, ut ſic admirantibus omnibus ſolicitudinis (4) ſpeculum, invidia principum, &

(8) *emergentia quædam* l. emergenti. (9) *ad veſtros* abeſt. (10) *vobis* l. vobis ex parte noſtri culminis. (11) *non inefficaciter debeatis* l. curetis. (1) *additamenta* l. abdicamina. (2) *qui inter alia* deſunt. (3) *robore* l. roboratis. (4) *ſolicitudinis* l. ſimilitudinis.

& norma regnorum, & cum ſtatu pacifico populorum juſtitiam (5) roboret, & ordo decoret: ordinarium fore providimus ordinare juſtitiam, quam copioſe mandavimus regni noſtri fidelibus miniſtrari, ut non minus ordo quam copia, ſanctum & providum voluntatis noſtræ propoſitum præconizet. Ad cujus conſummationem (6), cura perſpicua uti (7) laborantes, neceſſarium duximus.

Cap. CXXXVII.

Fidelibus ſuis de Marchia, ut parent ſe ad exercitum cum eo.

CUm vires Excellentiæ noſtræ, proxima ventura æſtate, potenter & magnifice oſtendere ac extendere diſponamus, ut rebelles [noſtri territi, & attriti clava noſtræ potentiæ demergantur ad ima 1]: virtutem veſtram & fidem, ac cæterorum noſtrorum fidelium Marchiæ, promptam volumus & devotam aſſurgere, ac roboratis viribus in conſpectu noſtro placide comparere: ut laudis titulis poſſitis (2) apud Excellentiam noſtram ſemper de bono in melius promoveri (3).

FINIS LIBRI QUINTI.

(5) *cum ſtatu pacifico populorum juſtitiam* l. ſtatum pacificum inſtantia. (6) *conſummationem* l. confirmationem. (7) *cura perſpicua uti* l. circa propitia.
(1) [ ] l. Majeſtatis noſtræ ad ima demergere.
(2) *laudis titulis poſſitis* l. titulus laudis poſtpoſitus.
(3) *promoveri* l. promereri.

CAPITA LIBRI SEXTI
Epiſtolarum Petri de Vineis.

PRivilegium conceſſum Neapolitanis. Cap. I.
Privilegium conceſſum comiti Acerrarum. Cap. II.
Privilegium conceſſum Aquinatibus. Cap. III.
Conceſſio Cancellariæ. Cap. IV.
Privilegium conceſſum Andreæ de Aquino. Cap. V.
Privilegium conceſſum Marchioni de Heinburg. Cap. VI.
Privilegium conceſſum extraneis. Cap. VII.
Privilegium conceſſum Friderico de Antiochia. Cap. VIII.
Privilegium conceſſum de conſtructione Aquilæ. Cap. IX.
Privilegium conceſſum Comiti Heinrico. Cap. X.
Privilegium conceſſum ad reſtitutionem deſtitutorum. Cap. XI.
Privilegium conceſſum Judæis. Cap. XII.
Privilegium conceſſum, ut quod in carcere ſtetit, propter hoc non incurrat infamiam. Cap. XIII.
Ut de conceſſione quarundam terrarum, facta Piſanis, filius non turbetur. Cap. XIV.
Exordium ſuper gratiis faciendis. Cap. XV.
Literæ diſpenſationis ſuper defectu natalium. Cap. XVI.
Concedit cuidam quod poſſit fieri miles, quanquam non ſit de genere militum. Cap. XVII.

Miſeri-

Miſericorditer remittit ſententiam ultimi ſupplicii, cuidam homicidæ. Cap. XVIII.

Taxatio ſalarii, conſtituti in civitate Forlinii, poteſtatibus tribuendi. Cap. XIX.

Recipit quendam in ſuam gratiam, quem neceſſitas olim tenuerat in rebellione. Cap. XX.

Conceſſio advocationis officii in quibusdam terris. Cap. XXI.

Conceſſio officii Capitaniæ & juſticiariatus. Cap. XXII.

Conceſſio officii judicatus ad certum tempus. Cap. XXIII.

Concedit licentiam exercendi artem medicinæ, in quibusdam partibus. Cap. XXIV.

Privilegium conceſſionis cujusdam Caſtri in perpetuum. Cap. XXV.

Privilegium conceſſum duci Auſtriæ, ſuper promotione ſua de duce in regem. Cap. XXVI.

Exordium ſuper gratiis faciendis. Cap. XXVII.

De eodem. Cap. XXVIII.

Recipit in gratiam ſuam quendam, remittendo ei offenſas. Cap. XXIX.

Privilegium libertatis, conceſſum quibusdam gentibus ad catholicæ fidei unitatem converſis. Cap. XXX.

Exordium ſuper gratiis faciendis, converſis ad fidem noviter. Cap. XXXI.

Conceſſio notariatus officii. Cap. XXXII.

Recipit quosdam fratres cum bonis ſuis ſub ſua protectione. Cap. XXXIII.

EPISTOLARUM PETRI DE VINEIS,

Liber VI.

Cap. I.

Privilegium conceſſum Neapolitanis.

NObile opus, ſedentis in ſolio clementia ſuadente, proſequimur, ſi per lubrica culpæ deliramenta (1) cadentibus ad ſublevanda remedia cito ſe noſtra manus habilitat, & indulgemus obnoxiis veniam poſt reatum: pulchrum vindictæ genus æſtimantes ignoſcere, & ſic materialis gladii refrenare licentiam: ut ſæviendi voluntate ſopita, temperemus interdum miſericordiæ condimento rigorem, data nobis ab ipſo fragilitatis humanæ principio voluntate quaſi domeſtica miſerendi, ut dum primi parentis in poſteros derivativa diſcrimina, in naturalem quodammodo transgreſſionis normam, defluxiſſe cognoſcimus, reparationis glorioſæ (2) ſuffragia libenter ſupplicibus largiamur. Eapropter præſenti privilegio noverit, tam præſens ætas, quam ſucceſſura poſteritas: quod, licet univerſitas civitatis noſtræ Neapolis, dudum propter imminentis (3) malitiam temporis, vel quod verius credimus, ad falſas ſuggeſtiones calumniantium æmulorum, viſa fuerit à fidei noſtræ ſemitis deviaſſe, & ſeducto-

(1) *deliramenta* l. deliramentis. (2) *glorioſa* l. gratioſæ. (3) *imminentis* abeſt.

ductorum verbis nutrita mendacibus in ejuſdem erroris caligine coacta potius quam voluntaria aliquandiu perſtitiſſe: propter quod & culpæ videbatur in dominum commiſiſſe diſpendium, & infamiæ notam à gentibus incurriſſe merito notabatur (4). Quia tamen ad fidem (5) vitio perfidiæ ſuperato, & poſt detectas fallacium verſutias labiorum, via cognita veritatis, unanimiter rediit ad fidei noſtræ cultum, & regiæ noſtræ miſericordiæ januam ſuppliciter propulſavit &c. nos qui miſereri eligimus potius, quam ulciſci, omnes offenſas & culpas, quas univerſitas ipſa propterea contra noſtram Majeſtatem noſcitur incurriſſe (6), eis de clementia nobis innata remittimus: & banna etiam in quæ forſan inciderunt miſericorditer relaxamus: & omnem notam infamiæ, cui viſa eſt propterea ſubjacere, de plenitudine poteſtatis noſtræ, decrevimus (7) abolendam. Recipientes ex nunc in antea civitatem ipſam, ac univerſos ac ſingulos cives ipſius in plenitudinem favoris & gratiæ noſtræ ſinum: & reſtituentes eis omnia bona ſtabilia, quæ tempore obitus domini C. patris noſtri rationabiliter tenuerunt, ac omnes bonos uſus & conſuetudines approbatas, quibus ejuſdem domini patris noſtri (8) tempore uti & gaudere ſunt ſoliti, confirmantes eiſdem: & ut in oculis noſtris, ad quos ſicut ad cultum novi domini redierunt, ſic novæ gratiæ fructum ſe gaudeant inveniſſe, ipſos ab omnibus daciis, & collectis, & exactionibus aliis, [uſque ad qua-

(4) *notabatur* l. videbatur. (5) *ad fidem* deſunt. (6) *incurriſſe* l. commiſiſſe. (7) *decrevimus* l. benigne duximus. (8) *patris noſtri* l. obitus.

quadriennium, de ſpeciali munificentia noſtræ benignitatis eximimus ut 9], uſque ad tempus ipſum completum, ſuper his nullatenus impetantur. Præſentis itaque privilegii autoritate mandamus, quatenus nullus Comes, vel Baro, nullus officialis, vel ejus vicarius, nulla denique perſona alta vel humilis, [eccleſiaſtica vel mundana, dictos fideles noſtros vel aliquos eorum, contra hujuſmodi gratiæ noſtræ formam, temere impedire vel moleſtare præſumat. Ab hujuſmodi vero 10] participatione gratiæ noſtræ prorſus excludimus duces, & capita factionum, qui univerſitatem ipſam verbis inanibus per invia deduxerunt: quos videlicet, ut actus ſuos nefarios doleant, & in ſalicibus organa calamitoſa ſuſpendant, extra regni noſtri limites merito ſanximus exilio puniendos, & omnia bona eorum ſtabilia, fiſci noſtri juribus applicanda (11).

Cap. II.

Privilegium conceſſum comiti Acerrarum.

OPus in nobis (1) egregium divina clementia ſuggerente perficimus, ſi per lubrica culpæ deliramenta cadentibus miſericordiæ celeris remedio ſubvenimus: cum augeatur in ſubditis devotionis vigor & fides, dum ipſos à culpis noſtræ Celſitudinis humanitas (2) abluit, & noſtri honoris titulus [devotorum noſtrorum devotione & fide creſcente ſuccreſcat

(9) [ ] deſunt. (10) [ ] deſunt. (11) *applicanda* l. decrevimus applicanda. (1) *in nobis* deſunt. (2) *humanitas* abeſt.

creſcat 3]. Sed licet in hoc noſtræ clementiæ dextera, libenter ad omnes humilitate ſuadente ſit habilis, circa illos tamen extenditur ſpecialiori prærogativa libentius, quos carnis nobis affinitate conjunctos, ſic devotio ſemper in antea conſolidat, ut ad rectitudinis terminum gradiendo perveniant: quanquam ipſos interdum oberrare contingat. Eapropter præſenti privilegio notum facimus univerſis, quod licet dilectus conſanguineus & fidelis noſter, T. de Aquino comes Accerrarum, olim æmulorum noſtrorum ſuggeſtione ſeductus, viſus tantiſper fuerit à noſtris beneplacitis deviaſſe: quia tamen errore depoſito, nunc ad fidem & mandata noſtra ſpontaneus ſe convertit: nos qui eundem T. conſcientiæ puræ conſtantiam erga nos ſemper geſſiſſe confidimus omnes offenſas & culpas, quas idem comes & Jacobus frater ejus, familiares & ſequaces eorum cum ipſis, contra Majeſtatem noſtram propterea incurriſſe noſcuntur (4), eis clementer duximus remittendas: recipientes ipſos decætero in plenitudinem favoris, & gratiæ noſtræ ſinum. Et ut in oculis noſtris gratiam liberaliorem (5) ſe gaudeant inveniſſe, Comitatum & feudum Acerrarum, cum civitatibus, caſtris, caſalibus, honoribus, omnibus juribus & pertinentiis eorundem, eidem T. & hæredibus ſuis in perpetuum damus, & etiam confirmamus. Partem etiam terrarum, dictum T. & Jacòbum fratrem ejus in bonis patrimonialibus rationabiliter contingentem, cum vivant more Lombardo

(3) [ ] l. devotione creſcente ſucceſſit. (4) *noſcuntur* l. dignoſcitur. (5) *liberaliorem* l. uberiorem.

Cap. IV.

Conceſſio Cancellariæ.

SAtis honoris noſtri faſtigia credimus prudenter extollere, ſi ad regiæ poteſtatis negotia conſiliis utique promovenda (1), non caſibus viros præclaros erigimus (2), & rectores idoneos præluſtribus officiis coaptamus (3), ut ſic eorum probitas laudata, non algeat, dum ſua ſint nomina faſcibus intitulata (4) magnificis, & mentis noſtræ tranquillitas non vacillet, dum latera noſtra proſpicimus providis decorata miniſtris. In hoc etiam liberalitatis noſtræ non erat intentio, ut quotiens perſonas dignas & ſufficientes inveniat, honores eis & beneplacita inculcet (5) & onera gratioſe, circa eos quaſi de liberalitatis promptuario pleno fluat (6). Eapropter per præſens privilegium noverit tam præſens ætas, quam ſucceſſura poſteritas, quod nos attendentes fidem puram & devotionem ſinceram, notam prudentiam, [& ſufficientiam approbatam 7] T. de Otra (8), dilecti & fidelis noſtri: volentes etiam, ut idem cujus legalitati de negotiis ciſmarinis onera confidenter injungimus (9), ſuum ultra mare ſe dilatare gaudeat magiſtratum: ipſum nuper provida conſilii deliberatione præhabita, Cancellarium hæreditarii regni noſtri Hieroſolymitani, ſolenniter duximus

(1) *promovenda* l. duximus proponenda. (2) *erigimus* l. elegimus. (3) *coaptamus* l. deputamus. (4) *faſcibus intitulata* l. ſcyphibus mutilata. (5) *inculcet* l. non inculcet. (6) *pleno fluat* l. bene pluant. (7) [ ] deſunt. (8) *T. de Otra* l. G. de Occa. (9) *injungimus* l. incumbimus.

mus ſtatuendum: poteſtatem liberam, & autoritatem plenariam concedentes eidem, ut officium ipſum cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, in regno ipſo Siciliæ (10) licite valeat exercere.

Cap. V.

Privilegium conceſſum Andreæ de Aquino.

PUlchrum in ſubditis humanitatis opus exequimur, ſi lapſis interdum per lubricæ culpæ convitium (1), miſericordiæ celeris (2) remedio ſubvenimus: cum ſummum vindictæ genus credamus ignoſcere, nolumus ſemper culpas deleri per gladium, in quibus rigorem poſſumus temperamento clementiæ mitigare. Eapropter præſenti privilegio notum facimus, univerſis tam præſentibus quam futuris: quod licet A. de Aquino fidelis noſter, olim ad falſas ſuggeſtiones æmulorum noſtrorum, viſus fuerit à noſtris beneplacitis deviaſſe: quia tamen ſaniori ductus (3) conſilio, ſpontaneus rediit ad fidei noſtræ cultum, & noſtræ miſericordiæ gratiam ſuppliciter imploravit: nos qui [humanitatem nobis divina ſuadente clementia] miſereri libentius volumus quam ulciſci, omnes offenſas & culpas, quas idem A. contra Majeſtatem noſtram viſus eſt hactenus incurriſſe, clementer ei duximus remittendas, recipientes eum in gratiæ noſtræ ſinum. Ex abundanti quoque gratia, quæ conſuevit ſervitia remunerare fidelium, totam (4) terram eidem A. fideli

(10) *Siciliæ* l. de cætero ſicut in regno Siciliæ.
(1) *convitium* l. convictum. (2) *celeris* l. celeri.
(3) *ductus* l. uſus. (4) *totam* deeſt.

deli noſtro, tam paterno & (5) materno jure, quam ex conceſſione quondam divi Auguſti domini patris noſtri ſpectantem: nec non terram quam tenuit olim ratione uxoris ſuæ cum caſalibus, hominibus, & pertinentiis ſuis, dicto A. & hæredibus ſuis in perpetuum, de ſpeciali gratia & ex certa ſcientia noſtra damus, concedimus, & etiam confirmamus.

Cap. VI.

Privilegium conceſſum Marchioni de Haimburg.

ETſi culpæ traductio (1), quæ in dominos interdum à ſubditis humanarum (2) fragilitate committitur, non tantum ſoleat præteritam notare progeniem, ſed & poſteritatis innocentiam infamare: illos tamen hujuſmodi vota (3) non obligat, quos nativæ fidei radicibus ſolidatos, contrariis ventorum impulſibus flecti, naturæ ſinceritas non permittit. Sed velut quæ ſpinis origine roſa communicans, odoris fragrantiam non amittit, tanto plus aliqui laudis & famæ præconia promerentur, quanto remotius à ſuorum erroribus fugientes, ſic devotionis & fidei claritate tripudiant, ut nec ſentiant ſanguinis identitate contagium, nec proxima carnis (4) molliri dulcedine patiantur. Hac itaque conſideratione commoniti, præſenti privilegio notum facimus univerſis, tam præſentibus quam futuris: quod nos attendentes inviolabilem devotionis & fidei purita-

(5) *&* l. quam. (1) *traductio* l. traditio. (2) *humanarum* l. humanitatis. (3) *vota* l. nota. (4) *carnis* abeſt.

ritatem, quam A. (5) Marchio de Haimburg, comes Aſtuli, & magnus regni Siciliæ Mareſcalcus, dilectus conſanguineus & familiaris noſter, nobiſcum ab annis teneris tam mentis ſinceritate, quam ſanguinis communione contraxit, ſibi de ſpeciali gratia & ex certa ſcientia noſtra, promittimus: quod ſive aliquem conſanguineum vel affinem ejus, tam ex parte uxoris ſuæ, quam alio quocunque modo, interdum per culpæ lubricum à fide noſtri nominis deviare contigerit, vel in læſionem honoris noſtri aliquid attentare: dictum Marchionem, uxorem, & hæredes ſuos, nunquam propterea ſuſpectos habebimus, nec alicui volumus pœnæ vel infamiæ ſubjacere. Sed ut (6) contraria juxta ſe poſita clarius eluceſcant, memoratum Marchionem, conſanguineorum vel affinium ſuorum culpis quibuslibet nullatenus obſiſtentibus (7), tanto reputabimus chariorem, quanto clariorem fidem ejus laudabilium operum experimenta ſentimus ad præſens, & ſentire confidimus firmiter in futurum. Præſenti itaque noſtræ Majeſtatis edicto, firmiter valituro, ſanximus: ut nullus ſit, qui eundem Marchionem, uxorem & hæredes ſuos, occaſione prædicta, contra hujuſmodi gratiæ noſtræ formam impetere, aut cujuſquam ipſis notam infamiæ temere irrogare præſumat. Quod qui præſumpſerit, indignationem noſtram ſe noverit incurſurum.

Cap.

(5) *A.* l. Bertoldus. (6) *ut* l. ut velut. (7) *obſiſtentibus* l. exiſtentibus.

Cap. VII.

Privilegium conceſſum extraneis.

ETſi cauſarum varietas, quæ proceſſibus noſtris improvide ſemper circumfluit, & nationum pluralitas, quæ ſub dominii noſtri felicitate reſpirat (1), in ſtatu vivendi (2) pacifico, cauſam nobis continuæ meditationis adducant: quadam tamen prærogativa familiaris cogitationis inducimur, & aſſidua meditatione penſamus, qualiter peculiaris regni noſtri Siciliæ populus, cujus ſpecialiter nos cura ſollicitat, cujus nobis eſt hæreditas omni poſſeſſione præclarior, ſic tranquillitatis decore præpolleat, ut ſub Cæſaris Auguſti temporibus augeatur. Videntes vero hoc fieri non poſſe commodius, quam ſi ejuſdem regni locuples gremium, ad ubertatis (3) ſuæ participium recipiat extraneos & alienigenas, filiis, quos fidelium tamen loca pepererint fœcundetur. Quare magna quadam proviſione decrevimus, ut quicunque regni noſtri filius effici cupiens, domiciliis illuc & familiis omnino translatis, ipſius habere voluerit incolatum, ut ad locum paſcuæ libere veniat (4), & ab ejus grata fertilitate veſcatur (5), & præter naturæ plenitudinem gratiæ, quam ſibi favorabiliter pollicemur, & in collectis & exactionibus publicis immunitate decennii, ſe gaudeat incommutabiliter potiturum.

 Cap.

(1) *felicitate reſpirat* l. felicitatem reſpiciunt. (2) *in ſtatu vivendi* l. minuendi ſtatu. (3) *ad ubertatis* l. adumbratis. (4) *libere veniat* l. veniant. (5) *veſcatur* l. veſcantur.

Cap. VIII.

Privilegium conceſſum Friderico de Antiochia.

LIcet ad quorumlibet noſtrorum fidelium munifice (1) proſequenda ſervitia, liberalitatis noſtræ manus quadam generalitate ſit habilis: illis tamen quadam ſpecialitate ſit debitrix: in quibus ſanguinis identitatem agnoſcimus, & fidei puræ conſtantiam invenimus, quorumque (2) devotio non ſolum præſtitis placere cupit obſequiis, ſed ſperatur in antea potius placitura præſtandis. Eapropter præſenti privilegio notum facimus univerſis, tam præſentibus quam futuris: quod nos attendentes inviolabilem devotionis & fidei puritatem, quam Fridericus de Antiochia, Albæ, Celani, & Laureti comes, chariſſimus frater & fidelis (3) noſter, erga divum Auguſtum [claræ memoriæ) dominum patrem noſtrum, & nos conſtanter noſcitur habuiſſe: conſiderantes etiam labores continuo, & onera expenſarum, quæ ad honorem noſtri culminis ſubiiſſe probatur: nec non alia ſatis grata & accepta ſervitia, quæ ipſum laudabiliter hactenus nobis exhibuiſſe cognoſcimus, & inceſſanter ad præſens exhibere ſentimus, ac eum exhibiturum pro firmo credimus in futurum: comitatum dudum ſibi à domino patre noſtro conceſſum, nec non comitatus N. ad manus noſtræ Curiæ rationabiliter devolutos, cum civitatibus, caſalibus, villis, hominibus, poſſeſſionibus, honoribus,

(1) *munifice* l. munificentiæ. (2) *quorumque* l. quorumcunque. (3) *frater & fidelis* l. filius devotus.

bus, uſibus, juribus, patronatibus eccleſiarum vacantium, & non vacantium, terris cultis, & non cultis, aquis, & aquarum decurſibus, molendinis, piſcariis, ſylvis, nemoribus, venationibus, montibus, planis, vallibus, juſtitiis & rationibus, ſibi & hæredibus ſuis in perpetuum, de ſpeciali gratia & ex certa ſcientia noſtra damus, concedimus, & etiam confirmamus: inhibentes & perpetuum ſilentium imponentes omnibus, qui comitatus prædictos vel partem eorum [ad ſe vellent dicere pertinere, occaſione, quod eos, vel partem ipſorum 4] tam ipſi, quam prædeceſſores eorum, aliquo tempore tenuiſſent.

Cap. IX.

Privilegium conceſſum de conſtructione Aquilæ.

Regnantibus nobis feliciter, & triumphantibus ac victorioſe degentibus in hæreditario regno noſtro Siciliæ, illud occurrit præcipue provida deliberatione penſandum, qualiter utrumque tempus, pacis videlicet & bellorum, ſub ditione noſtræ potentiæ ſalubriter dirigatur: & quomodo ſubactis jam undique rebellionis obſtaculis, id quod bellico ſudore quæſivimus, in ſtatu pacifico gubernemus: amatoresque pacis ſub umbra alarum noſtrarum vivere cupientes, foveamus ſalubriter, & noſtræ potentiæ dextera protegamus: ac gladius noſter, quem ad vindictam malorum, ad laudem vero bonorum ſuſcepimus, in facinoroſos

(4) [ ] deſunt.
Cap. 9. deeſt in MS.

roſos ſic ſæviat, quod innoxios tueatur. Hac itaque conſideratione commoniti, confinia regni noſtri Siciliæ, & maxime circa partes Aprucii: unde velut per expoſitum intrantibus hoſtium, ad pomerii noſtri delicias aggreſſus hoſtibus ſæpe jam patuit, & partes intrinſecas manus interdum prædonica violavit: taliter providimus ordinanda, quod in partibus illis, nova plantatione fidelium propagata, proditoribus noſtris & rebellibus, pro tempore inſultantibus ex adverſo, malefaciendi aditus præcludatur, & aliis quorum vita & ſalus à Celſitudine noſtra dependet, quies & pax perpetua præparentur. Volentes igitur illuc ſalubribus occurſare remediis, unde morbus interdum obrepere conſuevit, dum ex præteritis etiam experta conditio, magiſtram ſe nobis exhibeat futurorum, provida nuper conſideratione providimus: ut in loco qui dicitur Aquila, inter Furconem & Amiternum, de circum adjacentibus caſtris & etiam terris: quæ velut in membra diſperſa, quantacunque fidei claritate vigentia, nec noſtrorum rebellium poterant repugnare conatibus, nec inter ſe ſibi mutuis auxiliis ſubvenire: unius corporis civitas conſtruatur, quam ab ipſius loci vocabulo, & à victricium ſignorum noſtrorum auſpiciis, Aquilæ nomine decrevimus titulandam: Ex quo illud præcipue nobis honoris & commodi credimus proventurum, quod dum proinde ſicut unum ex pluribus, ſic totum ex partibus componatur, quaſi in eis dilectionis novæ concordia [per quam & rerum primordia, & totius mundi elementa concreverant] liberius poterunt

runt civitatis ejuſdem incolæ, violentis inſultibus æmulorum noſtra ſervitia proſequendo reſiſtere, quibus ipſos hactenus acquieſcere forſan oportebat invitos. Ut igitur tam nobile opus noſtrarum manuum ſpeciali munificentiæ noſtræ gratia ſe gaudeat inſignitum, civitatem ipſam infraſcriptis finibus, videlicet à cornu Putridi uſque per totum Amiternum ſtatuimus limitandum: publicantes ad ſitum & diſtrictum civitatis ipſius, & ad opus univerſitatis ejuſdem, colles omnes adjacentes, qui Aquila nuncupantur, & terras omnes circumquaque jacentes: exceptis C. & P. quas N. & N. dicti fideles noſtri habere noſcuntur ad præſens, vel habituri ſunt in antea, de ſtallis & recompenſationibus vaſallorum ſuorum, quos ibidem hactenus habuerunt. Decernentes etiam & publicantes ad opus univerſitatis ipſius ſylvas omnes, & nemora terrarum omnium, exiſtentium infra limites ſupradictos: ac ad opus omnium qui ad ejuſdem civitatis venient incolatum, liberam poteſtatem & licentiam concedentes univerſitati ipſius civitatis, ut loca pro caſalinis & collibus ipſis infra & extra mœnia civitatis & terras alias, vendere, locare, & gratis concedere, quibuſcunque perſonis voluerint libere valeant, pro ſuæ libito voluntatis: quæ in jus & proprietatem recipientium cedere volumus, & jubemus. Eximimus quoque de plenitudine poteſtatis noſtræ ac ſpeciali gratia, & ex certa ſcientia noſtra, univerſos & ſingulos milites noſtros populares, & omnes infra fines prædictos contentos, cujuſcunque conditionis vel profeſſionis exiſtant, hæredes

Stalla, id eſt, ſtabulum.

I 5 &

& ſucceſſores eorum, cum omnibus bonis ſuis in perpetuum ab omni dominio & juriſdictione ſeu conditione comitum, vel aliarum quarumlibet perſonarum: penitus liberantes eos ab omnibus perſonalibus & realibus ſervitiis ac præſtationibus, quibuſcunque perſonis generaliter ſeu ſpecialiter teneantur, & ſunt de jure vel de facto, ſeu aliqua conſuetudine obligati: & abſolventes eos ab omni fidelitate vaſallagii ſeu homagii juramento, quod de mandato prædeceſſorum noſtrorum, aut noſtro, vel ſine mandato prædictis dominis eorum hactenus præſtiterunt: non obſtantibus privilegiis prædeceſſorum noſtrorum, vel noſtris, indultis dominis eorundem: qui contra hujuſmodi gratiæ noſtræ formam vires volumus non habere. Prædictos quoque homines, contentos infra fines prædictos, cum omnibus bonis eorum, ad dominium & manus noſtras recepimus, & tam eos, hæredes ſucceſſoreſque ſuos, quam civitatem eandem, promittimus in ſpeciali noſtro & hæredum noſtrorum dominio & demanio, tanquam ſpecialem cameram retinere: ſub dominio prædictorum comitum, vel aliarum quarumlibet perſonarum, generaliter, vel particulariter nullo unquam tempore reducendos, caſtris & ædificiis contentis infra fines ſuperius deſignatos, infra duos menſes ab ingreſſu civitatis ipſius funditus diruendis, ac in poſterum nullatenus reparandis. Illis duntaxat exceptis, quæ pro Curia noſtra volumus cuſtodiri: & excepto Caſſari caſtro quod G. & ejus hæredibus reſervamus, ſtatuentes ut civitas ipſa, & ſinguli habitatores ipſius, totaque poſte-

poſteritas eorundem, omnibus bonis ſuis uſibus, ſicut aliæ civitatis fidelium regni noſtri demanii, gaudeant & utantur: & ut civitas ipſa bonis habitatoribus de bono ſemper in melius amplietur. Præſenti etiam privilegio indulgemus eiſdem, ut quicunque de exteris partibus noſtrorum fidelium [exceptis C. & P.] civitatis ejuſdem elegerint incolatum, illuc ſalubriter veniant, & ſecure morentur cum aliis prædictæ terræ civibus: communi privilegio gaviſuri, & ab eis per nos vel ſucceſſores noſtros nullo unquam tempore revocandum. Ad decorem etiam & continua incrementa civitatis ipſius, concedimus, ut civitas ipſa ſecundum diſpoſitionem univerſitatis ejuſdem ad ſui cautelam murorum ambitu valeat communiri, & interius exnunc murorum ædificiis decorari: quæ tamen quinque cannarum vel ullarum altitudinem non extendant. In ipſa etiam generales nundinæ bis fiant in anno, per viginti dies, vice qualibet duraturæ, & particulare forum ter in hebdomada libere valeant celebrare, ad quorum commercia univerſi & ſinguli, de quibuſcunque partibus cum mercimoniis & rebus eorum ſub protectione noſtri nominis & culminis, ſecure veniant, & morentur, & ad propria revertantur. Ne igitur ex hac ordinatione noſtra ſalubri, quam pro generali bono & commodo regni noſtri nuper edidimus, fideles noſtri quondam domini militum & hominum prædictorum, læſos ſeu damnificatos ſe in ſubtractione ſuorum jurium merito conqueri poſſint, de voluntate hominum eorundem inviolabiliter ſtatuimus, & man-

mandamus : ut compenſatione eorum quæ dudum ab ipſis hominibus præfatis dominis debebantur, octavam partem tantum bonorum ſtabilium ſinguli, omnes ſingulis quondam dominis ſuis, in uno loco tantum conferant, & aſſignent : octavis ipſis poſtmodum taliter inter dominos quos voluerint & ipſos homines permutandis, quod de valore octavarum partium, in tribus aut quatuor locis ad plus, in territorio videlicet Caſtri cujuslibet, in locis melioribus & mediocribus, prædictorum dominis integre ſatisfiat : eccleſiis & religioſis locis in honore militum habentibus bona ſua ab hujuſmodi collatione bonorum, dominis facienda prorſus exceptis : quos libertatibus & exemptionibus omnibus, quæ ſuperius exprimuntur, uti volumus & gaudere. De ſervitiis autem, quæ à prædictis hactenus debebantur ſuper hoc, præcipimus obſervari, ut in caſtro quolibet per viros idoneos diligenti inquiſitione præmiſſa, tantum ſinguli ſingulis dominis, pro redemptione bonorum ſuorum in pecunia, vel rebus aliis ſimul & ſemel exolvant, quatenus debita & hujuſmodi redditus, uſque ad annos viginti valere conſtabit. Nos autem qui ſuper hoc privatorum jura illæſa ſervamus, nolentes fiſci noſtri compendia ſub ſilentio præterire, præſenti privilegio declaramus, quod in civitate prædicta habere volumus caſtrum unum, univerſitatis ejuſdem ſumptibus conſtruendum. Si quis vero ſanctioni noſtræ hujuſmodi auſu temerario præſumpſerit contraire, præter indignationem noſtri culminis, quam ſe novit incurſurum, centum libras auri

auri puri fiſco noſtro componat, medietatem ipſarum Curiæ noſtræ, reliqua medietate paſſo injuriam applicanda.

Cap. X.

Privilegium conceſſum Comiti Heinrico.

TEnore præſentium notum facimus (1), quod nos attendentes merita fidei, quam ad nos & Imperium ſpecialiter dudum Heinricus comes de N. habuit, rerum diſpendia, & perſonæ periculum non vitando, licet ſe modico tempore à ſervitiis noſtris, inſtinctu alicujus ſuggeſtionis averterit: quia tamen duximus gratioſe (2) tam devotum revocare ſubjectum, & in plenitudinem noſtræ gratiæ reformare ipſum, reſpectu antiquæ fidei, quam in magnis neceſſitatibus noſtris, pro noſtri honoris nomine inviolabiliter obſervavit, in gratiam noſtræ recepimus Majeſtatis: ei (3) omnem offenſam & culpam, quam pro mutatione præſenti noſcitur commiſiſſe &c.

Cap. XI.

Privilegium conceſſum ad reſtitutionem deſtituti.

ETſi mera beneficia principum à ſola gratiæ liberalitate proveniant, multum tamen decoris, & cauſam ſecum celebres (1) proſecutionis adducunt, ſi oleo condita juſtitiæ in ſubjectos ſic effluunt, ut ſua quibuſcunque

(1) *facimus* l. facimus univerſis. (2) *gratioſe* l. gratioſum. (3) *ei* l. remittentes ei. (1) *celebres* l. celeris.

cunque petentibus jura reddant. Ad quod dominantis autoritas, tanto præbere debet virtutis amore ſe habilem (2), quanto ſibi per id honoris augmenta magnificat, & grandis in ſubditis devotionis incrementa componit. Quæ licet communiter ſe extendere lege naturæ patiatur ad ſingulos, circa illos tamen præcipue quaſi ſpontanea neceſſitate ſe ingerit, quos & [plenitudo juſtitiæ inſita petitioni coadjuvat, & ſervitii gratitudo (3)] multiplicis an exauditione gratiæ comitatur. Hac itaque ratione commoniti (4), præſenti privilegio notum facimus univerſis, tam præſentibus quam futuris: quod nos attendentes puræ fidei & devotionis conſtantiam quam univerſitas civitatis C. erga divum Auguſtum, quondam dominum patrem noſtrum, & nos ſemper noſcitur habuiſſe: conſiderantes etiam grata ſatis & accepta ſervitia, quæ ab univerſis & ſingulis hominibus civitatis ipſius, prompta devotione nobis exhibentur ad præſens, & exhiberi poterunt in futurum: univerſos & ſingulos ruſticos & cenſiles, ſeu quocunque alio ſervitutis vocabulo nuncupentur, quos ſervitiis aliquorum prælatorum & civium civitatis prædictæ, ab aliquo fuiſſe comperimus perſonaliter obligatos: licet ad tempus de mandato domini genitoris noſtri, eorum fuerint juribus deſtituti: ipſorum tamen exceſſibus præponderante juſtitia, & fide nos ad gratiam invitante, dictis fidelibus noſtris, qui dominatum ſeu juriſdictionem in eorundem perſonis vel rebus habere noſcuntur, tam juſte reſtituendos

(2) *habilem* l. favorabilem. (3) [ ] deſunt. (4) *commoniti* l. commoti.

dos decrevimus, quam gratioſe (5) ipſos noviter eis duximus concedendos: poteſtatem plenariam tribuentes eiſdem, ut dominio, juriſdictione debitis & conſuetis ſervitiis ad redditibus, prout melius (6) retroactis temporibus uti ſunt ſoliti, quiete de cætero gaudeant & utantur.

Cap. XII.

Privilegium conceſſum Judæis.

ETſi munificentiæ (1) noſtræ gratia, cunctis quos noſtrum regit imperium communis debeat eſſe fidelibus: illos tamen gratiori humilitate complectimur, legis humilioris quos (2) gravat conditio, & qui in ſola protectione noſtræ lenitatis reſpirant. Per præſens igitur privilegium, præſens ætas noverit & ſucceſſura poſteritas: quod nos attendentes imbecillitatem gentis Judaiſmi, & quod omnes & ſinguli Judæi degentes ubique per terras noſtræ juriſdictioni ſubjectas, Chriſtianæ legis & Imperii prærogativa [qua dominamur & vivimus] ſervi ſunt noſtræ Cameræ ſpeciales: ad ſupplicationes C. & O. ſervorum noſtrorum, perſonas, filios & filias, ac omnia bona eorum, quæ in præſentiarum juſte tenent & poſſident, & in antea juſto titulo poterunt adipiſci, ſub protectione noſtra & Imperii noſtri recipimus ſpeciali: bonos uſus & approbatas conſuetudines, quibus temporibus divorum Auguſtorum prædeceſſorum noſtrorum noſtrum

(5) *gratioſe* l. glorioſe. (6) *melius* l. nobis. (1) *munificentiæ* l. juriſdictionis. (2) *humilioris quos* deſunt.

noſtrum (3) [recolendæ memoriæ] uſi ſunt, hactenus ipſis in ſervitiis & debitæ fidei noſtræ conſtantia perſiſtentibus, de munificentia noſtræ gratiæ & ex certa ſcientia confirmamus.

Cap. XIII.

Privilegium conceſſum, ut qui in carcere ſtetit, propter hoc non incurrat infamiam.

SAtis nobis cedit ad gloriam, & noſtris fidelibus ad profectum, ſi motus noſtros, quos armat potentia, ſic manſuetudine decoremus, ut pœnæ duritiem, quam juris rigor aliquando dictat in ſubditos, clementiæ noſtræ molliamus unguentis: cum creſcat in ſubditis vigor, dum pœna remittitur, & dum devotorum ſuccreſcit cumulus, noſtri honoris per conſequens titulus augeatur. Hac itaque ratione commoniti (1), tenore præſentium notum facimus univerſis, quod licet olim C. & O. fideles noſtri, ob notas aliquas, quibus eos plus aliquorum calumniæ detractio, quam juſtitiæ regula fecit obnoxios, de mandato divi Auguſti, quondam domini genitoris noſtri [felicis memoriæ] in inſulam Malce (2) fuerint deportati, & propterea viſi fuerint notas alicujus infamiæ contraxiſſe: quia tamen humanitate nobis ſuadente clementiam, ipſos, carcere quo tenebantur abſolvi, & à deportatione ipſa mandavimus revocari: omnem offenſam & notam infamiæ, quam propterea incurriſſe noſcuntur (3), de noſtræ plenitudinis pote-

(3) *noſtrum* abeſt. (1) *commoniti* l. commoti. (2) *Malce* l. Malæ. (3) *incurriſſe noſcuntur* l. incurriſſent.

poteſtate abolemus & remittimus, lege vel conſuetudine aliqua nullatenus obſiſtente.

Cap. XIV.

Ut de conceſſione quarundam terrarum, facta Piſanis, filius non turbetur.

NOtitiam tuam nullatenus latere volumus, quod exigente negotiorum & temporum (1) tempeſtate, quæ noſtræ liberalitatis ordinem in plerîſque permutant, utilitate nihilominus, quominus neceſſitate rigida ſuadente, provincias Lunæſanam & Gorſagnanenſem (2) olim tibi paterna devotione collatas, nuper Communibus Piſanorum & Lucanorum providimus concedendas. Ex quo, licet poſſet in patre (3) quodammodo notam inhumanitatis objicere, quod de filii ſpoliis ditavit extraneos [& liberalitatis munificæ gratiam, quam in te dudum 4] infuderat, ablativa nunc vacuatione confundat. Si tamen collationis hujuſmodi qualitas, & conferentis affectus diligenter attenditur, turbari te propterea debere non credimus, ſed id ferre potius æquanimiter arbitramur. Cum in probabili debeas argumento præſumere, ut qui noſtræ munificentiæ dexteram ad fideles benemeritos libenter extendimus, tanto tibi libentius & liberius porrigamus, quanto nobis hoc ardentius & jus ſuggerit, & natura: dum apud nos grandia (5), duplici ratione pro meritis, carnis nobis iden-

m titate

(1) *& temporum* l. ipſorum. (2) *Lunæſanam & Gorſagnanenſem* l. Luneſane & Carfagane. (3) *patre* l. parte. (4) [ ] deſunt. (5) *grandia* deeſt.

titate participas, & labores noſtros & onera ſtudioſus & pervigil continua communicatione ſupportas (6). Volumus igitur proviſionem hujuſmodi, qua nec dum per actum gratificari te credimus, ſed conſulere potius per agendum, ratam habere debeas, & abſque dilatione (7) qualibet acceptare ſecurus, quod ſic tibi in aliis majoribus paterna providentia providebit, quod & dictis te ceſſiſſe provinciis, & noſtris inſudare ſervitiis merito delectabit.

Cap. XV.

Exordium ſuper gratiis faciendis.

Licet ad proſequenda munifice vota fidelium, liberalitatis regiæ dextera generali quadam irregularitate (1) ſit habilis: illis tamen gratioſa porrigitur quadam ſpecialitate liberior, quos ad obſequia grata continuos, fructuoſos & utiles, claris ſemper indiciis experimur.

Cap. XVI.

Literæ diſpenſationis, ſuper defectu natalium.

Dignum eſſe decrevimus & conſentaneum rationi, ut ii, quos interdum in legitimis actibus, defectus natalium impedit legitimationis honore, per principem reparentur: & ſi quando ſuper his Imperialis favor fidelium ſuorum ſupplicatione requiritur, liberaliter largiatur. Inde eſt quod cum magiſter T. de Curis,

(6) *ſupportas* l. ſupponis. (7) *dilatione* l. ratione. (1) *irregularitate* l. regularitate.

ris, clericus, fidelis noſter, pro legitimatione P. S. & M. filiorum ſuorum, quos ipſe dudum in ſacris Ordinibus conſtitutus, ex B. de eadem terra muliere ſoluta, ſe aſſerit genuiſſe, Majeſtati noſtræ humiliter ſupplicavit: nos ſupplicationibus ſuis benignius inclinati, prædictis N. de plenitudine poteſtatis noſtræ, ex certa ſcientia eos ſpurios eſſe ſcientes, legitimavimus, & omnia jura legitima reſtituimus: ut tanquam legitimi & (1) legitimo thoro nati, in bonis paternis & maternis, quæ feudalia non exiſtunt, ſuccedant, & ad omnes actus publicos & civiles honores, ſi caſus ſe ingeſſerit, admittantur: & in omnibus aliis ſuam libere proſequi valeant actionem, objectione prolis illicitæ in poſterum quieſcente, & lege aliqua non obſtante, & ea præcipue quæ legitimari ſpurios niſi ex certa ſcientia non permittit: ita tamen, quod viceſimam partem proventuum omnium bonorum, quæ prædictæ legitimationis beneficio (2) ad legitimos eoſdem provenerint, ſingulis annis reddant Curiæ noſtræ, in recognitionem gratiæ, quam eis ſuper hoc duximus indulgendam. Ad hujuſmodi autem rei memoriam &c.

Cap. XVII.

Concedit cuidam quod poſſit fieri miles, quanquam non ſit de genere militum.

NOtum facimus univerſis, quod A. de N. Majeſt. noſtræ humiliter ſupplicavit, ut cum velit fieri miles, & pater ſuus miles non

(1) *&* l. & de. (2) *beneficio* l. officio.

non eſſet, ſibi exinde largiri licentiam dignaremur. Nos autem, ut fidei ſuæ meritum, & ſuorum per Imperialis gratiæ præmium Imperialiter compenſemus (1), ſupplicationibus ipſius benignius inclinati, de poteſtatis noſtræ plenitudine, ſibi concedimus poteſtatem: quod quanquam pater ſuus miles non fuerit, & noſtris conſtitutionibus caveatur, quod milites fieri nequeant, qui de genere militum non naſcuntur: ipſe tamen de culminis noſtri licentia decorari valeat cingulo militari, mandamus: quatenus nullus eſt, qui (2) ipſum ſuper hoc de cætero moleſtare vel impediri præſumat.

Cap. XVIII.

Miſericorditer remittit ſententiam ultimi ſupplicii cuidam homicidæ.

QUam ſit favorabilis magnificentia Cæſaris, & quam ſit affabilis miſericordiam petentibus (1) vultus ejus, ex præſentis negotii ſerie poteſtis conjicere (2) aperte: in quo ſic eſt operatus juſtitiam, ut per miſericordiæ ſemitas dirigat greſſus ſuos, ſic miſericorditer eſt profectus, ut partes juſtitiæ non excludat, & ut conſulatur animæ mortui potius, quam vindictæ: nec impunitum penitus dimiſit noxium, nec perdere voluit ad ſuæ pietatis refugium proclamantem. Tales ſunt etenim magnifici principis viæ ſuæ, ut in his quis (3) reperiat ipſius participium (4) quod formidat, &

(1) *compenſemus* l. compenſantes. (2) *eſt qui* deſunt. (1) *petentibus* l. patientibus. (2) *conjicere* l. committere. (3) *ut in his quis* l. in his. (4) *participium* l. principatum.

& ſupplex ac humilis miſericordiæ fomitem ut reſpiret: quia nec ſitit ſanguinem, ſi (5) juſtitiæ viam non minuit miſerendo, nec parcere vult (6) noxio, quem culpabilem reddit temeraria præſumptio delinquendi. Sermo hic eſt G. de Placentia captivo, quem propter homicidium, non ex propoſito ſed rixa interveniente commiſſum, noſtra ſententia ultimo ſupplicio condemnavit: qui, licet ante judicem examinatorem juſtitiæ, ſcripto (7) jure inexcuſabilis eſt repertus, tamen coram ſummi clementia principis factus eſt redivivus: ſicut in authentici ſcripti noſtri ſerie videritis contineri, quod latrix præſentium operoſa demonſtrabit.

Cap. XIX.

Taxatio ſalarii, conſtituti in civitate Forlinii, poteſtatibus tribuendi.

DEcus eſt principum fidelium, votis clementer annuere, ac ſupplicum preces miſericorditer exaudire, ut ſic per gratiam diligantur in populis, & per Deum tueantur in terris. Porro (1) per præſens ſcriptum notum facimus univerſis Imp. fidelibus, tam præſentibus quam futuris: quod cum Commune Forlinii, fideles noſtri, miſericordiæ noſtræ januam humili petitione pulſaſſent (2), quod in ſalario ſuo decætero Poteſtatibus exolvendo, cujus ſolutionem præteritam ſuis onerosam

(5) *ſi* l. ſed. (6) *minuit miſerendo, nec parcere vult* l. invenit miſerendi ne parcat. (7) *ſcripto* l. ſtricto. (1) *porro* deeſt. (2) *humili petitione pulſaſſent* l. pulſatione humili tetigerunt.

roſam facultatibus reputabant, providere miſericorditer dignaremur: eorum (3) ſupplicationibus benignius inclinati, ſalarium ipſum annuum ad 70. libras providimus amodo reducendum. Quo Poteſtates eorum, qui pro tempore fuerint, volumus eſſe contentos, ſcripti præſentis autoritate mandantes, quatenus nullus ſit, qui Commune prædictum, fideles noſtros, ad majorem exactionem ſalarii, temeraria decætero coactione compellat. Quod qui præſumpſerit, &c.

Cap. XX.

Recipit quendam in ſuam gratiam, quem neceſſitas olim tenuerat in rebellione.

ILla fruimur & (1) Imperii dignitate manſuetudine, ac prærogativa virtutis, ut quia niſi culpa præcederet, locum venia non haberet, quacunque (2) hora ſubditus ad fidem noſtram converſus fuerit, patulis brachiis recipiamus eundem, obliti præteritæ culpæ ſuæ. Cum igitur ad notitiam noſtram pervenerit N. de N. quem neceſſitas olim in rebellione tenuerit potius quam voluntas ad fidelitatem noſtram cum omni devotione fore converſum, & in gratiam noſtram recipi perpenſius (3) implorantem: aures noſtras benignas implorationi ſuæ duximus apponendas, & meritis ſuæ bonæ converſationis (4) inducti, eum cum Caſtro,

(3) *eorum* l. nos ipſorum. (1) *&* l. ex. (2) *quacunque* l. ſed quacunque. (3) *recipi perpenſius* l. receperimus propitius. (4) *converſationis* l. converſionis.

Caſtro, terra, familia & bonis ſuis omnibus, tam ſtabilibus quam mobilibus, in noſtræ gratiam recepimus Majeſtatis: offenſas omnes & culpas, quas erga noſtram Excellentiam & fideles noſtros, verbo vel opere potuit hactenus commiſiſſe, ſibi & hæredibus ſuis misericorditer indulgentes: dummodo, quod cœpit, opere fideliter proſequatur, & in noſtra devotione perſiſtentes, ſe noſtris ſervitiis exhibeat gratiorem quotidie per effectum. Univerſitati fidelium præſenti ſcripto mandantes, quatenus eum decætero tanquam fidelem teneant, & in omnibus conſervent indemnem, & ut nullus ſit qui ipſum aut hæredes ſuos in fide noſtra conſtantes, aliquatenus in perſonis aut rebus moleſtare præſumet. Quod qui præſumpſerit, &c.

Cap. XXI.

Conceſſio advocationis officii in quibuſdam terris.

NOtum facimus fidelitati veſtræ, quod nos confiſi de prudentia & legalitate (1) N. de N. fidelis noſtri, de cujus fide & ſufficientia laudabile teſtimonium Serenitas noſtra recepit, officium advocationis in terris ipſis (2) eidem duximus concedendum, ut illud ad honorem & fidelitatem noſtram debeat decætero fideliter exercere. Quapropter fidelitati veſtræ præcipiendo mandamus, quatenus, poſtquam vobis conſtiterit per literas juſtitiarii regionis ipſius (3), ipſum fidelitatis & officii præſtitiſſe debitum juramentum, de omnibus quæ ad offi-

(1) *legalitate* l. largitate. (2) *ipſis* l. ipſius. (3) *ipſius* abeſt.

officium advocationis pertinere noſcuntur intendatis, & pareatis eidem tanquam advocato in terris ipſis per noſtram Excellentiam conſtituto.

Cap. XXII.

Conceſſio officii Capitaniæ & Juſtitiariatus.

CUm poſt ſedatos jam fluctus bellicæ tempeſtatis, cujus inter nos hactenus aura contraria cultum pacis & fructum juſtitiæ pervertebat, præcipua vos (1) cura ſollicitat qualiter circa bonum ſtatum regionis ipſius, ſub umbra noſtri dominii tranquillitatis & plenæ ſecuritatis profectura ſuccedant bona. Ecce C. de N. dilectum familiarem noſtrum & fidelem, de cujus providentia & legalitate confidimus ab experto, in Capitaniam & juſtitiariatum ipſarum partium duximus ſtatuendum. Quocirca fidelitati veſtræ firmiter præcipiendo mandamus: quatenus, de omnibus & ſingulis, quæ ad ipſius Capitaniæ & juſtitiariatus officium ſpectare noſcuntur, eidem C. decætero ad honorem & fidelitatem noſtram devote parere & intendere ſtudeatis, tanquam Capitaneo & juſtitiario ipſarum partium, per noſtram Excellentiam ordinato.

Cap. XXIII.

Conceſſio officii Judicatus ad certum tempus.

NOtum facimus fidelitati veſtræ, quod nos confiſi de prudentia & legalitate A. concivis veſtri, de cujus fide & ſufficientia lauda-

(1) *vos* l. nos.

laudabile teſtimonium per literas veſtras recepimus, recepto ab eo in Curia juxta noſtram conſuetudinem fidelitatis & officii debito juramento, ipſum Judicem noſtrum per totam præſentem æſtatem (1) duximus ſtatuendum: fidelitati veſtræ mandantes, quatenus eidem fideli noſtro in omnibus, quæ ad ipſius officii judicatur (2) ſpectare noſcuntur ad honorem & fidelitatem noſtram, per totam proximam præſentem duodecimam indictionem decætero intendatis, tanquam judici (3) per noſtram Excellentiam ordinato.

Cap. XXIV.

Concedit licentiam exercendi artem medicinæ, in quibusdam partibus.

NOtum facimus fidelitati veſtræ, quod fidelis noſter N. ad Curiam noſtram accedens, examinatus, inventus fidelis & de genere fidelium ortus, & ſufficiens ad artem medicinæ exercendam extitit per noſtram Curiam approbatus. Propter quod de ipſius prudentia & legalitate confiſi, recepto ab eo in Curia noſtra fidelitatis ſacramento, & (1) de arte ipſa fideliter exercenda, juxta conſuetudinem juramento (2), dedimus ei licentiam exercendi artem medicinæ in partibus ipſis: ut amodo artem ipſam ad honorem & fidelitatem noſtram, & ſalutem eorum qui indigent, fideliter ibi debeat exercere. Quocirca fidelitati

m 5 veſtræ

(1) *æſtatem* l. duodecimam indictionem. (2) *judicatur* l. judiciatus. (3) *tanquam judici* deſunt.
(1) *&* abeſt. (2) *juramento* abeſt.

veſtræ præcipiendo mandamus, quatenus nullus ſit, qui prædictum fidelem noſtrum ſuper arte ipſa medicinæ in terris ipſis, ut dictum eſt, fideliter exercendi, impediat decætero, vel perturbet.

Cap. XXV.

Privilegium conceſſionis cujusdam Caſtri in perpetuum.

ETſi munificentiæ noſtræ gratiam libenter extendamus (1) ad ſingulos, quos fideles nobis ab (2) operum experimento (3) ſentimus: circa illorum tamen merita gratioſius proſequenda, libentius noſtræ liberalitatis dexteram adducimus, pro quibus non ſolum devotionis & fidei puritas, ſed ſervitii gratitudo multiplicis intercedunt. Eapropter per præſens privilegium notum facimus univerſis, tam præſentibus quam futuris, quod nos attendentes fidem puram & devotionem ſinceram, & grata ſervitia, quæ N. fidelis noſter, noſtro culmini (4) fideliter exhibuit hactenus, & inceſſanter ad præſens exhibet, & exhibere poterit devotius in futurum: caſtrum C. (5) & Juſtitiariatus cum omnibus juſtitiis, juſtitiariis rationibus omnibus, & pertinentiis ſuis, quæ de demanio in demanium, & quæ de ſervitio in ſervitium eidem & hæredibus ſuis provenire potuerunt (6) in perpetuum de ſpeciali gratia,

(1) *extendamus* l. oſtendimus. (2) *ab* l. per. (3) *experimento* l. experimenta. (4) *culmini* l. cultui. (5) *C.* l. Vazanum. (6) *provenire potuerunt* deſunt.

gratia, & ex certa ſcientia noſtra duximus concedendum, ita tamen, quod Caſtrum ipſum à nobis & hæredibus noſtris in Capitaniam teneat, & immediate à noſtra Curia recognoſcat. Vivens jure Francorum, in eo videlicet quod major natu excluſis minoribus fratribus & cohæredibus in Caſtro ipſo ſuccedat, inter eos nullo tempore dividendo: ſalvis in omnibus mandato, ordinatione & fidelitate noſtra & hæredum noſtrorum, & ſervitiorum, quæ exinde Curiæ noſtræ debentur. Ad hujus rei teſtimonium &c. (7)

Cap. XXVI.

Privilegium conceſſum duci Auſtriæ, ſuper promotione ſua de duce in regem.

FRidericus duci Auſtriæ & Stiriæ, ſuo dilecto principi & comiti Carniolæ, gratiam ſuam & omne bonum. De fulgore throni Cæſarei, velut ex ſole Radii, ſic cæteræ prodeunt dignitates, ut primæ lucis integritas minorati luminis non ſentiat detrimenta, tantoque magis Imperiale ſceptrum extollitur, & tanto cura regiminis ſolicitudinibus relevatur, quanto tribunal ipſius digniores in circuitu circumſpicit conſimiles regiones. Hac igitur conſideratione commoniti, qui cœleſti providentia Romani Imperii moderamur habenas, ſolii noſtri decus tam veterum dignitatum ornatibus confovemus, quam novis honoribus am-

(7) *&c.* l. &c. Chorus novæ Iheruſalem non dignum ſe putet cujus præſentia putet.

Cap. 26. 27. 28. deſunt in MS.

ampliamus. Tuis igitur, devotiſſime Princeps noſter, ſupplicationibus favorabiliter inclinanati, nec minus ad exaltationem honoris ſacri Imperii noſtri reſpectum habentes, de infra ſcriptorum principum noſtrorum conſilio: videlicet C. Ratisbonenſis Epiſcopi, L. Wormatienſis Epiſcopi, H. Bambergenſis, & O. Brixienſis, abbatis Campidonenſis, C. abbatis Cliviacenſis, O. ducis Moraviæ, & B. ducis Bavariæ: ducatus Auſtriæ & Stiriæ cum pertinentiis ſuis & terminis, quos hactenus habuerunt, ad nomen & honorem regium transferentes: te hactenus prædictorum ducatuum Ducem, de poteſtatis noſtræ plenitudine & magnificentia promovemus in regem, eiſdem libertatibus, immunitatibus, & juribus prædictum regnum tuum præſentis epigrammatis autoritate dotantes, quæ deceant regiam dignitatem. Ut tamen ex honore, quem tibi libenter addicimus, nihil honoris & juris noſtri diadematis aut Imperii ſubtrahatur: quinimmo ſicut hactenus tanquam dux, princeps & fidelis noſter extiteras, ſic in poſterum regio decoratus honore, tu & ſucceſſores tui, legitimi principes, fideles & devoti nobis & ſucceſſoribus noſtris in Imperio perpetuo perſiſtatis. Nihilque propterea juri & honori Imperii, in prædictis regno & terris tuis omnino depereat vel decreſcat, & quæ hactenus habuit in eiſdem N. eo ſpecialiter & nominatim expreſſo, quod ſucceſſores tui, non per electionem prælatorum, Ducum, Comitum, aut quorumlibet nobilium eligantur in regem, ſed ſemper major natu ſeu ſenior ex generatione tua

tua ex te, & ex ſucceſſoribus tuis, legitime deſcendentes, in regno ſuccedant, nullusque in eis coronam aut conſecrationem in prædicto tuo regno, de manu cujuſquam accipiat, ſed à nobis & ſucceſſoribus noſtris, tantum in Curia noſtra, vel ab his, qui ſpeciale mandatum à nobis ſuper hoc habeant, coronationis & conſecrationis munus & decus pro tempore conſequentur. Alii vero hæredes minores natu, non habeant aliud, niſi quod ex regis gratia poterunt obtinere. Illud etiam juri regio & honori conjungimus, ut ſi aliquis Comes, nobilis aut miniſterialis, vel miles de regno tuo contra te, & ſucceſſores tuos, & terram tuam forſitan exceſſerit, & pro ſuo exceſſu Caſtrum vel munitiones ſuas ab excedente per te vel per nuncios tuos peti contigerit, ipſeque negaverit aſſignare ipſum: ex jure regiæ dignitatis, per ſententiam Curiæ tuæ bannire & forbannire valeas, ipſumque extra legem facere omnis juris ſuffragio, prout eſt moris Imperii, carcerari. Cæterum, ut pacem & juſtitiam, quæ ſunt regnorum omnium fundamenta, poſſis in prædicto regno tuo conſtantius confovere, præſentium tibi autoritate concedimus: ut ſi quis in prædicto regno tuo manifeſtus extiterit malefactor, tuo videlicet aut Curiæ tuæ juſto judicio condemnetur. Cumque aliquis de prædicto regno tenuerit, foverit vel defenderit eundem, & requiſitus tuo judicio noluerit aſſignare, eadem pœna puniri debeat receptator, idemque defenſor quo malefactor ipſe puniri deberet. Ad decus præterea regni tui, præſentis privilegii auto-

autoritate permittimus, ut de provincia Carniolæ ducatum facias immediate tibi, & per te nobis & ſucceſſoribus noſtris & Imperio reſponſurum: & ut in Ducatu ipſo cognatum tuum, fidelem noſtrum, in Ducem valeas promovere, plenam tibi concedimus poteſtatem. Ad cujus rei memoriam & robur perpetuo valiturum, præſens privilegium fieri, & bulla aurea, typario noſtræ Majeſtatis, impreſſa juſſimus communiri, &c.

Cap. XXVII.

Exordium ſuper gratiis faciendis.

UT vota fidelium ad regum ſervitia & beneplacita principum animentur, vel augmententur: quia pia conſueverunt liberalitate regnantes, juſtas eorum petitiones admittere, & ipſis manus munificas aperire.

Cap. XXVIII.

De eodem.

FAvorabilis petitio ſupplicantium effectu debet pro ſequente compleri: ut dum ea quæ juſte poſtulant promerentur, & ad fidelitatis obſequia magis eorum devotio accendatur, &c.

Cap. XXIX.

Recipit quendam in gratiam ſuam, remittendo ei offenſas.

TEnore præſentium notum facimus univerſis, quod cum miſericordia ſuperexaltante

tante judicio, glorioſius reputemus offenſis ignoſcere ſubjectorum, quam eorum offenſas ulciſci: attendentes ſupplicationem C. de N. (1) ſe ad implorandum gratiam noſtram humiliter convertentis: habentes quoque reſpectum ad ſuæ fidei merita retroacta, quæ impenſa nobis ab eo ſervitia noſtro conſpectui repræſentat, nihilominus confidenter ipſum in redemptione offenſæ grata & utilia ſervitia noſtro culmini præſtiturum (2): dictum C. (3) ad ſervitia & fidem noſtram tota devotione converſum, in plenitudinem favoris noſtri (4) recepimus, conſuete remittentes eidem omnem offenſam & culpam.

Cap. XXX.

Privilegium libertatis, conceſſum quibusdam gentibus ad catholicæ fidei unitatem converſis.

FRidericus &c. regibus, ducibus & principibus, marchionibus, & univerſis Chriſti fidelibus, Imperio Romano ſubjectis, gratiam ſuam & omne bonum. Ad hoc ſummi diſpenſatione conſilii, præ aliis principibus (1) obtinuimus monarchiam dignitatis, & Imperii Romani ſuſcepimus diadema: ut etſi ad alia extrinſeca debita ſolicitudo nos provocet, ad ea tamen, quæ libertatis Eccleſiæ ſtatum, & incrementum catholicæ fidei promoverent, tanto ſpecialius intendamus, quanto gratius inde Chriſto impartitur (2) obſequium, à quo

(1) *C. de N.* l. P. Traverſanum. (2) *præſtiturum* l. præſentata. (3) *C.* l. P. (4) *noſtri* l. noſtri & gratiæ. (1) *præ aliis principibus* l. principalis. (2) *impartitur* l. impartimur.

à quo fides cœpit exordium, & per quem Imperialis gratiæ recognoſcimus unctionem. Hinc eſt igitur, quod per præſens ſcriptum notum fieri volumus univerſis præſentem paginam inſpecturis, ad noſtram nuper ex veridica fidelium inſinuatione notitiam perveniſſe, quod quædam gentes in Septentrionalibus partibus conſtitutæ, videlicet in Livonia, Eſcovia, Pruſſia, Semigalia, & in aliis provinciis convicinis, inſpirante divina gratia cœlitus (3), eo qui ubi vult ſpirat, expulſa de cordibus eorum ſuperſtitionis caligine, cor (4) carneum inducentes ab infidelitatis errore diſcedere cupiunt, & ad veri Dei cultum, & catholicæ fidei [unitatem accedere ſunt parati, ob illius tantum (ſicut dicitur) differentes timorem, ne poſt ſuſceptionem fidei 5,] per principes orbis libertates eorum (6) ad ſervitutes onera deducantur (7). Cumque penitus cenſeamus indignum, & cunctis Chriſti cultoribus abhorrendum, ut libertas [quæ per ſe res favorabilis eſt] privilegium & favorem, quæ per fidem meretur, amittat, ea omnia prævenienda (8) duximus de gratia ſpeciali. Et ecce, quod univerſos & ſingulos eorum ad ſuſceptionem catholicæ fidei venientes, poſt ſuſceptam fidem cum omnibus bonis eorum, ſub noſtra & Imperii protectione, [& ſpeciali defenſione 9] ſuſcipimus, & præſentis ſcripti autoritate plenam eis & hæredibus eorum, intuitu ſuſce-

(3) *cælitus* abeſt. (4) *cor* l. ut. (5) [ ] deſunt. (6) *libertates eorum* l. libertas eorum nequaquam. (7) *deducantur* l. deducatur. (8) *ea omnia prævenienda* l. eos omnes præveniendos. (9) [ ] deſunt.

ſuſceptæ fidei concedimus & confirmamus perpetuo libertatem: nec non omnes immunitates quibus uti conſueverunt, priuſquam converterentur ad fidem. Eximimus inſuper eos etiam à ſervitute, & jurisdictione regum, ducum, & principum, comitum & cæterorum magnatum, præſenti ſancientes edicto, ut non niſi ſacræ ſanctæ matris Eccleſiæ, ac Romano Imperio (10), quemadmodum alii liberi homines Imperii, teneantur. Nullusque eos contra præſentis protectionis, defenſionis, conceſſionis, & confirmationis noſtræ paginam, impetere, moleſtare, offendere, vel eorum quietem turbare præſumat: quod qui præſumpſerit, indignationem noſtram & Imperii, ſe noverit graviter incurſurum. Quare univerſitatem veſtram hortando & rogando monemus, attentius exhortantes: quatenus prædictas gentes accedentes ad fidem, ob illius amorem (11), cujus intuitu & inſpiratione ducuntur (12), qui eas (13) denuo ad ſe vocat, benigne protegere, fovere ac tueri potenter ab incurſibus malignorum, & ob reverentiam Imperii commendatas (14) habere velitis: ut univerſos & ſingulos poſſimus exinde merito commendare.

(10) *ac Romano Imperio* l. Romanæ. (11) *amorem* l. honorem. (12) *& inſpiratione ducuntur* l. inſpirati dicuntur. (13) *qui eas* l. & qui eos. (14) *commendatas* l. commendatos.

Cap. XXXI.

Exordium ſuper gratiis faciendis converſis ad fidem noviter.

CONſuevit innata conſuetudo regnantium, exceſſus & merita ſubditorum juſto pietatis examine, ac pia juſtitiæ moderatione diſcutere, ut (1) converſos pie recipiat, & converſionis ipſorum meritis, ac devotione penſatis, juſte ad eos gratiam liberalitatis effundat. Habet enim in ſe gratioſa munera providentia principalis, ut & (2) converſis ſubditis condeſcendat ad gratiam, & devotionis ipſorum zelum clementer & liberaliter proſequatur. Sane &c.

Cap. XXXII.

Conceſſio notariatus officii.

NOtum facimus univerſitati veſtræ, quod T. Taurinienſis, fidelis noſter, juxta ſacrarum conſtitutionem noſtrarum tenorem examinatus, inventus (1) fidelis, & de genere fidelium ortus, & ſufficiens ad notariatus officium exercendum, eſt per noſtram Curiam approbatus. Propter quod de ipſius prudentia, & fidelitate confiſi, ſtatuimus eum publicum notarium Taurinienſem: ut amodo in terra ipſa publice notariatus officium, ad honorem & fidelitatem noſtram debeat exercere: recepto ab eo juramento fidelitatis, de ipſius

(1) *ut* l. & ut. (2) *&* abeſt. (1) *inventus l.* eſt inventus.

ipſius publici notariatus officio fideliter exercendo. Quare fidelitati veſtræ mandamus, quatenus ſi in terra ipſa non eſt completus numerus ſtatutus notariorum, noſtris conſtitutionibus comprehenſus, dicto T. fideli noſtro, tanquam publico notario ejuſdem terræ (2), à noſtra Majeſtate ſtatuto, de omnibus quæ ad ejuſdem notariatus officium pertinent, ad honorem & fidelitatem noſtram decætero intendatis.

Cap. XXXIII.

Recipit quosdam fratres cum bonis ſuis ſub ſua protectione.

PEr præſens ſcriptum notum fieri volumus univerſis, quod frater Heinricus, domorum Militiæ templi in Italia præceptor, devotus & fidelis noſter, Majeſtati noſtræ humiliter ſupplicavit, ut domos in Imperio ſibi commiſſas, fratres, familias & bona ſua ſub noſtra & Imperii protectione, de noſtra gratia recipere dignaremur. Nos igitur ſupplicationibus ejuſdem præceptoris (1) favorabiliter inclinati, ſuæ devotionis obtentu, domos prædictas, fratres, familias, & bona quæ juſte tenent & poſſident, ſub noſtra & Imperii protectione recipimus: ſpeciali præſentis ſcripti autoritate mandantes, & firmiter inhibentes, ſub pœna gratiæ noſtræ, quatenus nullus ſit, qui nominatas (2) domos, fratres & familias, in perſonis, poſſeſſionibus & bonis ſuis auſu teme-

(2) *terra* abeſt. (1) *præceptoris* l. & precibus. (2) *nominatas* l. prænominatas.

temerario, contra hujuſmodi protectionis noſtræ tenorem, impetere (3), impedire, offendere ſeu moleſtare præſumat. Immo univerſi & ſinguli ipſum præceptorem, fidelem & devotum noſtrum, & fratres, cum domibus, poſſeſſionibus & bonis ſuis, habeant pro noſtræ Majeſtatis reverentia commendatos. Ad hujus autem protectionis noſtræ memoriam, ſtabilitatem & firmitatem, præſens ſcriptum fieri juſſimus, noſtri culminis ſigillo munitum.

(3) *impetere* abeſt.

FINIS LIBRI SEXTI.

INDEX

Digitized by Google

INDEX VOCABULORUM,

quæ cum magis Itala ac barbara ſint, quam Latina: tamen pro hiſce, in epiſtolis Vinianis uſurpantur.

ADmiralis, *id eſt*, *navarchus*; *ſive præfectus maris.*

Ambaſiatores, *legati & oratores intelliguntur: Italice Ambaſciatori.*

Barketta, *diminutive à barca*, *quod Italice navem ſignificat: & generale nomen eſt ad omnem navem qua navigamus.*

Caſalina, *domus deſtructa*, *quæ parietina dicitur.*

Cariſtia, *annonæ caritas.*

Carrocium, *vexillum currui infixum.* *vid. Wachter Gloſſar. p.* 816.

Comitiva, *comitatus principi adjunctus.*

Contrada, *regio vel natio*, *vel vicus.*

Compacare, *reconciliare.*

Dextrarii ſunt, *qui jam vulgo dicuntur latrones.*

Demanium, *dominium.*

Disrobare, *ſpoliare.*

Disrobati, *ſpoliati.*

Exfortium, *auxilium.*

Emenda, *recompenſatio damni.*

Excontrum, *cum obſes alterius recedentis vel dimiſſi obſidis loco datur.*

Forbannire, *proſcribere unde.*

Forbannitio, *proſcriptio.*

Forbanniti, *exules proſcripti.*

Fronteria, *limitatio.*

Guera, *bellum.*

Guaſtum, *vaſtatio*: *guaſtare*, *id eſt*, *vaſtare.*

Juſtitiarius, *judex aulæ.*

Maritima, *ſubſtantive pro ora ſive parte maritima.*

Palonga, *ſeptum è palis*, *perticis*, *vel ſudibus in flumine factum*, *lib. 2. ep. 40.*

Portulani, *qui portubus maris vel fluminum præſunt.*

Recalcata navigia, *de novo tecta.*

Sauma, *clitellæ*, *quæ ab equo commode geſtari poſſunt.*

Stalla; *ſtabulum.*

Strata vel ſtrada, *via.*

Stolium, *claſſis*, *dictio derivata à Græca* στόλος, *qua denotatur claſis*, & *navis quoque commeatus* ἀπὸ τοῦ στέλλεσθαι, *quod eſt proviciſci navigatione.*

Treugæ, *induciæ.*

Valletus, *miniſter*, *famulus.*

Viagium, *profectio.*

HYPO-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HYPOMNEMA,

DE FIDE, OBSERVANTIA, AC BENEVOLENTIA PONTIFICUM Romanorum erga Imperatores Germanicos, collectum ex veris atque fidelibus hiſtoriarum monumentis, à S. S. S.

FRIDERICUS II. IN LIB. I. Epiſtolarum, Epiſt. XXXI.

Revera Imperialis felicitas, papali ſemper impugnatur invidia.

BASILEÆ,

Typis JOH. BRANDMULLERI, M DCC XL.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI
ac Domino, D. GEORGIO Comiti Palatino Rheni, Duci Bavariæ, &c. Domino ſuo clementi,
S. P.

M*Emini, Illuſtriſſime Princeps, me ante biennium ad Celſitudinem tuam, ab Illuſtriſſimo Principe D. WOLFGANGO, Comite Palatino Rheni, &c. agnato Celſ. T. ac Domino meo gratioſiſſimo, miſſo, Celſ. Tuam de aliis rebus quamplurimis mecum benigniſſime colloquentem, in hunc quoque ſermonem venire, ut diceret, optandum eſſe, hunc laborem à quopiam ſuſcipi, ut ex veris atque fidelibus hiſtoriis oſtenderet, quam perfide, inique, ſuperbe atque tyrannice Pontifices Romani cum Imperatoribus Germanicis egiſſent. Hoc etenim, non ſaltem inferioris fortunæ homines, à filio iſto perditionis alienari: ſed & viros principes, his ſalubribus exemplis ad diffidendum homini peccati commoveri. In quo non potui non Celſitudinis tuæ prudentiam, cum ſingulari pietate conjunctam, probare. Quis etenim, variis præſtantiſſimorum Imperatorum*

noſtrorum caſibus, quibus pontificum perfidia ac ſcelere exagitati fuere, perpenſis, de his fugiendis cogitaturus, eosque ut teterrimas omnium malorum faces execraturus non eſſet? Etſi vero Celſitudinis tuæ oratio cum aliorum piorum ſententia atque judicio congruens, tunc temporis mihi pergrata eſſet: non tamen quicquam de ejus argumenti tractatione ſtatuere audebam, quod eas mihi ſubinde occupationes objici cernerem, quæ ejus peramplæ materiæ tractationem minime ferrent: & quod pontificiam perfidiam, inſolentiam atque tyrannidem tantam eſſe ſcirem, ut neque verbis exprimi, neque ratione ulla oſtendi posſit. Verumenimvero, dum à tua Celſitudine abſui, & hinc inde in variis locis multorum bonorum judicia in eadem ſententia cum Celſitudine tua eſſe cognovi, ita mens mea confirmata eſt, ut paululum otii nactus, cum ex Celſitudinis tuæ, tum aliorum ſententia, Hypomnema de perfidia ac tyrannide Pontificum Romanorum erga Imperatores Germanicos, quam ſuccinctiſſime pertexere aggrederer: hoc obſervato, ut Lectorem ad autores, unde uberior rerum commemoratio petenda eſt, quaſi manu deducerem: nec juſtiſſimo dolori, qui ex indignitate tantorum ſcelerum naſceretur, nimium indulgerem. Quis etenim, niſi natus ſit è ſcopulis, ac nutritus lacte ferino, non doleat, imo toto pectore cohorreſcat, legens, pontifices, pietate Imperatorum ex latibulis, cryptis, ac ſpecubus, in quibus perſecutionum tempore latuerunt, eductos, ac liberalitate eorundem ditatos,

Chriſti

Chriſti ac Apoſtolorum doctrina neglecta, eo vecordiæ, inſolentiæ, perfidiæ, impietatis atque tyrannidis progredi potuiſſe, ut Imperatores ac Reges, ſuos dominos, patronos, ac magiſtratus poſt Deum in terris maxime honorandos, convitiis nefandis proſcindere, bellis plusquam parricidialibus proſequi, eos omni ſcelerum genere, inſidiis, veneno, & proditionibus impugnare, omnibus diris devotos Imperio privare, denique ipſis in triſtiſſimam ſervitutem lecticariorum atque mulionum redactis, ſpurciſſimos pedes oſculandos porrigere, eorumque venerandas cervices ungulis urſinis ſuperbiſſime conculcare atque obterere minime erubuerint. Sane cum neminem ita crudelem, ita ab omni in patriam amore alienum, vel à magiſtratus debita reverentia averſum eſſe cenſerem, qui lectione talium vel pauliſper ad ſuccurrendum afflictis rebus Eccleſiæ & Reipublicæ extimulari non poſſet: Hypomnematis hujus de perfidia atque tyrannide Pontificum in Imperatores Germanicos concinnandi laborem alacriter ſuſcepi. In quo ſi quibusdam juſto vehementior atque aſperior fuiſſe videbor, hi ſciant, non id linguæ petulantia, aut naturæ morbo, ſed rerum ipſarum ratione factum. Nam cum hæ malæ fuerint, quomodo oratio quæ ex rebus naſcitur, naturam earum mutare poterit? Quod apud gentes valuit, hic quoque valere neceſſe eſt: nimirum quod

De perverſis factis oratio bona eſſe non poſſit,

juxta

juxta Sophoclem. Deinde hoc ingenue fateri non erubeſco, me in ea gente natum, quæ veritati ac ſimplicitati aſſueta, non auribus hominum, maxime Pontificiorum, ſervire, vitia eorum fovere, vel mollitie verborum palliare conſueverit: ſed quæ ſuis quamque rem terminis circumſcribens, ſcapham ſcapham, ficum ficum (ut rex Macedoniæ Philippus dixit) appellet. Ac ſi hæc ad veritatis ſcriptionem mihi non ſufficiunt, cogitent, Italicis ſcriptoribus nullam irreverentiam contra optimos Imperatores & Cæſares noſtros ſatis eſſe potuiſſe. Si itaque propudium ac dedecus deæ Italorum magnæ, rurſus ab Imperii regnique Chriſti ſtudioſis, ipſis oſtendatur, neutiquam eis injuriam factam poſſe videri: maxime cum ſcriptum ſit, Deum revelaturum propudium ac dedecus effrontis iſtius mulieris, & oſtenſurum gentibus nuditatem, ac regnis ignominiam ejus: Nahum 3. Et præceperit ad hæc, reddi ei, ſicuti & ipſa reddidit aliis: Apocalypſiis 17. Hoc vero qualecunque Hypomnema, Illuſtriſſime Princeps, Celſitudinis tuæ inſcribere volui, quod argumentum ejus, oratione Celſitudinis tuæ mihi ſit quaſi ſubminiſtratum: & quod eam Eccleſiæ ac Reipublicæ calamitatibus, tyrannide pontificia invectis, ita affici ſciam, ut quidquid in iis ſanandis vel avertendis præſtare poſſit, in eo nec pietatem, nec voluntatem eximiam requiri patiatur. Ac, etſi hanc meam compellationem Celſitudini tuæ minime contrariam fore ſperem: tamen ut eam, tanquam meæ in ipſam ſubmiſſæ obſer-

Eſaiæ 43.

obſervantiæ teſtem benigne admittere atque probare dignetur, etiam atque etiam rogo. Chriſtus Jeſus, æterni patris filius, Celſitudinem tuam ad gloriam divini nominis ſui, cum in proſpera valetudine, tum vera agnitione voluntatis ſuæ, ac deteſtatione idolomaniæ pontificiæ, diu ſalvam, incolumem, florentemque conſervet ac tueatur. Datæ Baſileæ, IX. Martii, Anno M. D. LXVI.

Tuæ Celſitudinis
obſervantiſſ.

Simon Schardius, D.

DE

Digitized by Google

DE FIDE, AMICITIA AC Obſervantia Pontificum Romanorum erga Imperatores Germanicos

Ὑπομνημάτιον.

CUm multa variaque ſint, quæ Deum ordinis amantem eſſe teſtantur atque oſtendunt: tum vero illud evidens atque illuſtre teſtimonium ſuppeditat, quod, quo ea quibus religio, veraque animi in ipſum pietas, vitæque hujus ac civilis ſocietatis conſervatio continentur, debito ac legitimo ordine peragerentur, Religioni ſacerdotes, Imperio principes ac reges mirabili ſapientia inde ab initio multiplicati generis humani præfecit, per proprios actus ac dignitates diſtinctas, officiis utriusque poteſtatis diſcretis. Etſi enim, qui legis divinæ promulgationem in veteri Teſtamento anteceſſère patres, Abel, Seth, Noha, Abraham, Iſaac & Jacob, tam ſacra quam Imperium adminiſtraſſe leguntur: & ſubſequentibus temporibus apud Ægyptios & alias nonnullas gentes (haud dubie à patribus memoratis exemplo ſumpto) non niſi ſacris initiati, reges electi à Platone referuntur: tamen Deus lege per Moyſen lata, officia ordinis utriusque diſtincta eſſe voluit: ac ſacerdotes docere, ſacrificare & orare: duces cum populo regere, ac cuſtodes diſciplinæ & pacis juxta leges congruentes eſſe juſſit: & novo

novo ſacerdotio in Teſtamento novo, per Chriſtum filium Dei, redemptorem generis humani inſtituto, & ipſe quantumvis Rex & ſacerdos æternus à patre omnipotente conſtitutus eſſet, temporalium adminiſtratione à ſe abdicata, ſola ſpiritualia curanda ſuſcepit: quod regnum ſuum æternum ac cœleſte, non temporale, mundanum vel politicum eſſet: inque eo non corporalia, caduca, fluxa atque fugacia, ſed æterna atque cœleſtia beneficia diſtribuenda eſſe ſciret. Itaque & regnum ſuum non *Johan. 8.* eſſe de hoc mundo, Pilato de regno ipſius ſciſcitanti manſuete reſpondit: nec ſe veniſſe ut ſibi miniſtraretur, ſed ut miniſtraret, animamque ſuam daret redemptionem pro multis, dixit. Ac quando turbæ regem temporalem ipſum facere voluerunt, fugit: petitæ hæreditatis indicium vel diviſionem recuſavit. Ac non ſolum Cæſari quæ ipſius eſſent, danda præcepit: ſed & cum didrachma ab ipſo peteretur, ne offendiculo eſſet aliis, ſtaterem ex ore piſcis exemptum exigentibus ſolvit. Adhæc, cum diſcipulos ſuos ambitione dominandi ſuffuſos de primatu contendere cognoviſſet, non ipſos, ſed reges gentium dominaturos aſſeveravit: eo ipſos officii admonens, idque à politia ac mundana gubernatione ſecernens. Ac tandem, poſt glorioſam è mortuis reſurrectionem, eos ad ſacroſanctum Evangelium prædicandum per totum terrarum orbem dimiſſurus, non alia quam qua ipſe à patre miſſus erat, ratione miſit: mandato hoc innuens, non ad dominandum eos vocatos, ſed ut Evangelii annunciatione, ac legis prædicatione æternam

Matth. 20. *Johan. 6.* *Luc. 12.* *Marc. 12.* *Matth. 17.*

Eccle-

Eccleſiam patri colligerent, eum toto corde diligerent, timerent, invocarent, ac nullis terroribus, odiis vel ſuppliciis deterriti confiterentur: in invocatione ſedulo, fideliter, conſtanter, modeſte, ſobrie ac caſte verſarentur: manſuetudinem in offenſione: miſericordiam in calamitate bonorum, patientiam in afflictione colerent, unitatem Spiritus per vinculum pacis conſervarent: denique ſollicitudine rerum corporalium abjecta, paupertatem aliaque vitæ incommoda placide ferrent: ita, ut ex ipſorum doctrina & vita Chriſtus glorificetur, Eccleſia creſcat, miniſteriumque commendetur.

Et ſane Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, ex mandato præceptoris orbem terrarum obeuntes, cum in aliis, tum in obſervantia diſcriminis ordinis politici ac ſacerdotalis ſeſe ita geſſère, ut veriſſimi Chriſti diſcipuli ac imitatores eſſe agnoſcerentur. Siquidem non ſolum æternam optimi maximi Dei voluntatem ſine figmentis hominum pure annunciaverunt: ſed & Cæſares in terris à Deo ſecundos, anteque omnes mortales primos venerari, dominoſque ſuos vocare, eiſdem tributum pendere, pro eorum ſalute preces ad Deum fundere, imperata magiſtratus detrectantibus divinam vindictam minitari ſunt ſoliti: cum omnibus negotiis ſecularibus, tum maxime uſurpatione armorum abſtinentes: enſem duplicem Eccleſiæ datum ad ſervandum vivificandumque, non ad occidendum, ſcientes: tantum abeſt, ut vel regum vel principum quenquam, licet impiiſſimum, regno pellere, populum ejus ſacramento

mento ſolvere, vel pro principatu cum ipſo decertare tentarent: ſed aſperrimas atque difficillimas perſecutiones per annos ducentos & ſeptuaginta, magis fide in Deum firma, ardenti invocatione, ac glorioſa conſtantia, quam frendente impatientia ac violenta propulſatione ſuperandas eſſe exiſtimarent: idque non ſine eccleſiæ Chriſti incremento ac propagatione. Quando etenim pulchrior, ac ſuo capiti Chriſto ſimilior Eccleſiæ facies fuit, quam cum poſt Chriſti aſcenſionem diſcipuli mandata ejus adimplentes, & ſucceſſores ipſorum veſtigiis inſiſtentes, primum per Judæam, Samariam & Palæſtinam Evangelium fideliter ac pure prædicarunt: deinde cum ſuis ſynergis ad alias gentes, maxime vero Romam, orbis terrarum caput, atque in finitimas regiones properantes, in vinea Domini excolenda, à Lino uſque ad Sylveſtrum & Cæſarem Conſtantinum Magnum, in atrociſſimis perſecutionum procellis, per ducentos & quinquaginta annos cum vitæ ac ſanguinis effuſione, plantando & rigando fideliter elaboraverunt?

At cum divina miſericordia à Conſtantino Magno Chriſtianorum eccleſiis pace data, Epiſcopi ex latibulis, cryptis ac ſpecubus, in quibus tempore perſecutionum latuerant, eduẞti, mundi deliciis ac inutili otio frui, vitam amœnam ducere, à via prædeceſſorum deflectere, ac per verbi divini neglectionem & terrenas affectiones Chriſti ac Apoſtolorum doctrinam canonibus, decretis, ac ceremoniis veſtire, nova dignitatum officia excogitare, Eccleſiam unam aliis omnibus præferre, diſcrimenque ordi-

ordinis eccleſiaſtici atque politici convellere minime erubuerunt: mox tanta doctrinæ, diſciplinæ & ordinis confuſio eſt nata, ut non gregis Dominici paſtores, ſed lupi rapaciſſimi: non ſacerdotes, ſed blaſphemi: non rectores, ſed ejectores animarum à conſpectu Altiſſimi eſſe viderentur. Siquidem non tantum doctrinæ Chriſtianæ ſinceritatem humanis traditionibus mirum in modum obſcurârunt, ſuperſtitionibus impiis depravarunt, ac ethnica mortuorum invocatione, blaſphemaque idolomania impie polluerunt: & omni honeſtate ac diſciplina conculcata, in omni ſeductione ac veritatis oppreſſione, Sodomiticis fœditatibus, laſcivia, luxuria, impudicitia, ſcortatione, ſacrilegiis, diſſidiis, necromantiis, veneficiis, homicidiis, aliiſque ſceleribus ſua tempora tranſegerunt: ſed & diabolica dominandi cupiditate atque ſuperbia elati, contra divinum præceptum ſecularibus negotiis ſeſe implicare, à ſubjectione regum ſeſe ſubtrahere, aliena uſurpare, falcem protervam in meſſem non ſuam temere porrigere, utramque perſonam gerere, juriſdictionem utriusque gladii ſibi arrogare, neminem parem, nedum ſuperiorem ferre, aliis jus atque honorem præripere, regibus imperare atque leges præſcribere, Cæſares ut precario regnantes floccifacere, devovere, & capite diminuere: principes cum principibus committere, diſcordias ſeminare, factiones confirmare: ſubditos à fidelitatis juramento abſolvere, ac ad illicitam rebellionem ſua improbitate atque aſtutia impellere cœperunt: ita ut poſt conſtabilitam tyrannidem ſuam fraudibus,

dibus, cædibus, bellis, omnique ſcelerum genere Romani Imperii Majeſtatem májore ruina, quam ulli exteri barbarique hoſtes, vi atque potentia ſua deformarint atque oppreſſerint.

Nam ne commemorem Orientale imperium, Pontificum Romanorum technis ac artibus deſtructum, initio Græcis per Longobardos Italia pulſis: mox hiſce per Francos, contra Aiſtulphum Longobardorum regem cenſum atque vectigal à Stephano ſecundo petentem, evocatos oppreſſis: Quis mediocriter in hiſtoriarum lectione verſatus eſt, quem fugiat, Imperio Romano virtute Caroli Magni à Græcis ad Germanos translato, Imperatores noſtros inauditis technis ac fraudibus, ab epiſcopis Romanis petitos, triſtiſſimis bellis divexatos, tandemque ſcelere eorundem Imperii vires inciſas, attenuatas, fractasque eſſe?

Eſt quidem hujus rei commemoratio ita injucunda ac triſtis, ut lachrymis potius quam oratione proſequenda eſſe videatur: tamen cum in ejus mentionem noſter ſermo ſit delatus, rem nec ab inſtituto, nec argumento Operis præſentis alienam, facturam me credo, ſi quæ humilitas, obſervantia, fides ac obedientia Romanorum pontificum erga laudatiſſimos Imperatores Germanicos, qui ipſos ditârunt atque ornârunt, extiterit, obiter recenſeam.

Ut itaque à Francis, qui primi Imperium à Græcis ad Germanos transtulêre, exordiar: quis eſt qui neſciat, quantis beneficiis, honoribusque hi ſedem Romanam ornârint? Carolus ſiquidem cognomento Magnus, eam à Deſiderio Longobardorum rege duriſſime vexatam,

tam, Longobardis deletis glorioſe liberavit, ac contra Herigiſum ducem Beneventanorum ejusdem fines defendit: mox quoque Leonem tertium, factione adverſariorum Roma exulantem, ſedi Barioneæ reſtituit.

LUDOVICUS PIUS.

LUdovicus quoque patri Carolo ſuffectus, ut libri Pontificii memorant, ſummo Pontificii, ejusque ſucceſſoribus Romanam civitatem cum ducatu ſuo inſigni liberalitate conceſſit: ac jura Eccleſiæ & dignitatem conſtanter, etiam ad ſuperſtitionis usque notam, tutatus eſt.

Annonius in hiſtoria regum Galliæ. Joannes Marius Belga in libro de Schiſmatibus & de conciliis. part. 2. cap. 4.

Non tamen vel patris, vel filii virtutis ac meritorum recordatio tanta fuit, ut Gregorii III. pontificis improbas machinationes contra Ludovicum reprimeret. Nam bello à filiis contra patrem moto, ipſe non (quod pontificis Apoſtolici fuiſſet) diſſenſionem amovit, ſed à Ludovico in caſtra filiorum, pro concordia ſarcienda miſſus ea conditione, ut rediret: Ludovico relicto, in caſtris filiorum manſit, ac veri apoſtatici inſtar patricidialem diſſenſionem juvit ac fovit: ita ut pater comprehenſus, ac arctiſſimæ cuſtodiæ mancipatus, in monaſterium Sueſſione una cum filio juniore ſit detruſus. O inſignem filiorum in optimum parentem, ô deteſtandam Pontificis in pientiſſimum Imperatorem ingratitudinem, pari perfidia ac ſcelere conjunctam. Licet autem Imperium apud poſteros Ludovici aliquot deinde annos manſerit: minus tamen Pontificum impro-

probitas in ipſos, quam progenitorem Ludovicum, ſeſe exeruit; quod in hoc unicum intenti eſſent, ut poteſtate, quam Imperatores in ipſis confirmandis habebant, excuſſa, facilius eos demum pedibus contererent. Atque id quidem longo tempore parturierunt, donec fœtum editum anno 895. in lucem protulêre. Nam eo tempore, Carolo Craſſo Imperatore ex Italia diſcedente, ut in Normannos, qui tum Gallias invaſerant, moveret: Hadrianus tertius hac opportunitate illectus, initio pontificatus ſui ſtatim ad Senatum populumque retulit, ne in creando pontifice Imperatoris autoritas expectaretur, ſed Romæ libera ſemper eſſent cleri & populi ſuffragia: hoc decreto Imperatoribus jus omne quod in pontificem atque urbem Romanam habuêre, adimens, & ſucceſſoribus ſuis majora attentandi viam commonſtrans. Ac quidem exinde deficiente Caroli Magni poſteritate, quæ centum & aliquot annos feliciſſime Imperium adminiſtravit, ac ipſis pontificibus de cathedra peſtilentiæ horribili rabie inter ſeſe decertantibus, ac ſe invicem cædibus, veneficiis, omniumque ſcelerum genere excutientibus, machinationes ipſorum in Imperatores conquievêre, donec ſub Othone primo rege Germaniæ, improbitatis ſuæ reiterandæ explicandæque occaſionem recepêre.

Platina in vita Hadriani III.

OTHO MAGNUS.

NAm cum Othone regnante, Joannes XIII, nobilis quidem genere, ſed moribus turpiſſimis, ſedi Romanæ præſideret, Petrique

trique cathedram luxu, alea, ganeis, ſcortationibus, omnique vitiorum genere pollueret: ſimul quoque Berengarius Longobardorum dux, cum alias civitates, tum quoque Romam duriſſime vexaret: Cardinales Epicuream vitam Pontificis, & tyrannidem Berengarii graviſſime tulêre, ita ut duo ex ipſis, quibus hæc vel honeſtatis vel ſedis Romanæ nomine, vel odio pontificis præ cæteris diſplicerent, ab Othone, cujus tunc virtutis opinio ob Lotharingos, Gallos, Hungaros, Danos, aliosque barbaricos populos devictos, eximia & per totum orbem illuſtris erat, auxilium petendum ſtatuerent. Itaque cum aliquot aliis communicato conſilio, & per literas & legatos Othonem rogavêre, uti laboranti Eccleſiæ & Reipublicæ auxilium ferret: Berengarii tyrannidem crudeliter in Eccleſias ſævientis reprimeret, & Eccleſiam à tam tetra ac impura belua liberaret. Pontifex his cognitis, ei qui literas ſcripſerat, tres digitos, & Cancellario ſuo, qui in hoc conſenſerat, naſum amputat. Otho itaque qui minime Eccleſiam periclitantem projiciendam cenſeret, omnibus neceſſariis ad bellum comparatis, cum quinquaginta millibus militum in Italiam contendit: Berengarium atque Adelbertum filium ejus, Italia pellit: Romam dehinc properat. Ac etſi ei pontificis facinora notiſſima eſſent, tamen reverentia ſedis Apoſtolicæ, initio nihil durius vel aſperius in ipſum ſtatuit: ſed ipſum, omnibus quæ ei adempta fuiſſent reſtitutis, ingentibus gemmarum auri & argenti muneribus honorat. Ac data opportunitate colloquendi cum

Theodericus de Nyem in vita Othonis.

Luitphrandus Ticinenſis lib. 6. rerum per Europam geſtarum, cap. 6. & ſequentib.

cum homine, ſecreto atque amice, quæ de ipſius flagitiis cognoviſſet, commemorat: admonens, ut inpoſterum à tam turpibus atque nefandis abſtineat, frugi vitam agat, ac Eccleſiæ ornamento, non dedecori ſit: ſanctimonia vitæ non minus pontificem, quam eruditione atque ſcientia, commendari. Papa præſenti Imperatori vitæ melioris ſaniorisque ſpem optimam facit: qua Imperator lætatus, Roma Papiam ad hybernandum concedit: jurejurando tamen prius à pontifice ſupra corpus Petri, ſe nunquam Berengario atque Adelberto auxiliaturum, accepto. Vix vero Imperator Roma diſceſſerat, cum pontifex ac priſtinum vomitum rediens, non ſolum luxui, ganeæ, ſcortationibus, ſtupris, ſacrilegiis, rapinis, homicidiis, veneficiis, aliisque turpiſſimis flagitiis indulget: ſed & juramenti Imperatori præſtiti oblitus, Adelbertum Fraxineto, quo ex Italia ad Saracenos profugerat, ad ſe evocat, eique contra Imperatorem Othonem omne auxilium pollicetur: legatos quoque contra Othonem Conſtantinopolim mittit. Imperator, cui talis perfidia in Pontifice mira videretur, hiſce intellectis, non temere fidem adhibendam cenſet: ſed quoſdam ſuorum Romam, qui rei veritatem inquirant, mittit. Iis itaque revertentibus, & cum hæc, tum alia atrociora, veriſſima eſſe affirmantibus: Imperator juſtiſſima indignatione commotus, Romam denuo contendit. Ac dum juxta eam caſtrametatur, Joanne pontifice cum Adelberto in Campaniam aufugiente, cum omnibus ſuis à civibus in urbem honorifice recipitur,

tur, fidelitatem Imperatori promittentibus: firmiterque jurantibus, ſe nunquam Papam electuros præter conſenſum Imperatoris Othonis Cæſaris Auguſti, filiique ipſius regis Othonis. Elapſo itaque ſic Joanne, atque metu Cæſaris in ſylvis & locis Campaniæ abditis latitante, ac poſt triduum tam clero Romano, quam populo rogante conventum, in quo de vita Joannis inquireretur, fieri: Otho concilium indicit, vocatis ad hoc omnibus Epiſcopis & abbatibus Italiæ, quos integros, pios & bonos eſſe ſciebat. Quibus die ſtatuto venientibus, etſi ſcelera ipſius talia eſſent, ut etiam ex concilii ſententia, nec Hibericos, nec Babylonicos, nec Indicos latêre putarentur: minime tamen ſententiam in ipſum præcipitandam divinæ virtutis Imperator, ſed moderato animo maturoque conſilio procedendum cenſuit. Quare cum Archiepiſcopis Liguriæ, Tuſciæ, Saxoniæ, Franciæ, ad Joannem literas, in quibus accuſationis cauſæ ac verba continebantur, mittit: eumque hortatur, ut ad purgandum ſe de criminibus objectis veniret. Illo vero ita reſpondente, ut autoritatem concilii ab ipſo negligi facillime appareret: ſimulque temerarie excommunicante eos qui alium eligerent: Imperator, graviſſima oratione concilio exponit, quam perfide Joannes ſecum egiſſet, quamque ſcelerate vixiſſet. Eo itaque audito, unanimi Concilii ſententia, Joanne apoſtata ob improbos mores reprobato, Leo protoſcriniarius Romanæ Eccleſiæ pontifex electus eſt. Interea autem Imperatore milites pleroſque, quos ſecum duxerat, dimittente, ne multitudine exercitus

ercitus Romanis oneri eſſet: reprobatus ille Pontifex hoc cognito, cum non ignoraret quam facili momento Romanorum animi mutarentur, quamque fluxæ ac inſtabilis fidei eſſent; nuncios ſuos Romam mittit, ac ut in Imperatorem ejusque comitatum irruant hortatur: inque remunerationem ipſis, beati Petri omniumque Eccleſiarum theſauros pollicetur. Romani paucitate exercitus Cæſarei, & pecuniæ promiſſione animati, conſpirant, ac buccina concrepante in Imperatorem inſurgunt. At eo ſuper pontem Tyberis, ipſis cum milite intrepido, inque armis exercitato viriliter occurrente: Romani perfidiæ ſuæ dignas pœnas retulêre. Ita namque fuſi fugatique ſunt, ut nullum nec ſacra nec prophana loca tuerentur, ſed tam ab aris quam haris ſordiumque receptaculis extraherentur. His itaque ſic peractis, Otho Romanos tanta ſtrage affectos, quietiores fore ſperans: Spoletum, ubi Adelbertum eſſe audierat, feſtinat. At Joannes denuo ad ſolitas artes converſus, per meretrices, quibus cum ante commercium habuerat, nobiles plerosque Romanos ita concitavit: ut Joanne in urbem recepto, Leo ægre manus ipſorum evaderet, & ad Imperatorem perveniret. Is ergo Leonis Papæ dejectione, ac Joannis tyrannide, qua in quibuſdam puniendis uſus fuerat, cognita, exercitum reparat, injuriam ſibi atque Leoni pontifici à ſe inſtituto illatam ulturus. Verum dum in eo occupatur, optimi maximi Dei judicio, volentis Joannem mundo ad exemplum divinæ vindictæ proponi, factum eſt, ut miro genere mortis interiret. Nam cum

O 5 quadam

quadam nocte, cum cujuſdam viri uxore extra urbem ſeſe oblectaret: in temporibus adeo à diabolo (quemadmodum Luithprandus Ticinenſis memoriæ prodidit) percuſſus eſt, ut intra octo dierum ſpatium ex vulnere ſit mortuus. Alii vero à marito mulieris, qua cum conſueverat, vulneratum fuiſſe ſcribunt: ita ut animam impuram diabolo, cui ſerviverat, redderet. Etſi autem hoc monſtrum interiiſſet: non tamen ſeditio per ipſum mota conquievit. Nam Romani in ejus ſublati locum, Benedictum Quintum ſubrogârunt: eumque ab Imperatore, qui tum Spoleti erat, confirmari contenderunt. Sed Imperator cum hanc electionem nequaquam probaret, Romanos, id minime expectantes, à ſe repulit: eosque flamma & ferro omnibus circa urbem vaſtatis, compulit, ut pulſo Benedicto, vel dedito potius, Leonem ſuſciperent, adactos ſacramento, nil ſe earum rerum immutaturos, quas ipſe Imperator in re pontificia conſtituiſſet. Leo itaque in ſedem Barioneam reſtitutus, Romanorum inconſtantiæ pertæſus, autoritatem omnem eligendi potificis à clero populoque Romano ad Imperatorem transtulit: prout habetur diſtinct. 6. c. in Synodo. Et Otho hoc modo rebus compoſitis, in Germaniam rediens, ſecum Benedictum duxit: qui non multo poſt, dolore animi Hamburgi, apud Cancellarium Othonis Adaldagum, Archiepiſcopum Hamburgenſem, mortuus, ibidemque in cathedrali Eccleſia ſepultus eſt.

Platina in vita Joannis XIII.

Platina in vita Benedicti V. Vide etiam Alb. Krantz lib. 4. cap. 9.

OTHO

OTHO III.

POſt aliquot deinde annos, ut avo in Imperio, ſic quoque in contentionibus pontificiis ſucceſſit Otho ejus nominis tertius. Defuncto namque Joanne decimoſeptimo, cum ipſe Gregorium quintum ex jure per Leonem octavum Othoni Magno conceſſo pontificem creaſſet: eumque Creſcentius ac populus urbis, ægre ferentes hominem Germanum autoritate Imperatoris ordinatum eſſe Papam, ſede pontificiali dejeciſſent: Joanne ejus nominis decimooctavo, prius Epiſcopo Placentino, homine pecunioſo ac erudito; in locum ejus ſubſtituto: Gregorius ad Imperatorem in Germaniam profectus, ac de injuria ſibi illata conqueſtus, Imperatorem ita commovit, ut copiis coactis urbem peteret, eamque longa obſidione cinctam ad tantam redigeret neceſſitatem, ut populus Romanus fame coactus, patentibus portis Imperatorem reciperet.

Nauclerus generat. 34. Platina in vita Georg. V. Cuſpinianus, & Theodoricus de Nyem in vita Othonis tertii.

Intromiſſus itaque in urbem Imperator, cum ſciret eandem ſibi poteſtatem ſcelerati pontificis, quam alterius latronis cohercendi, divinitus conceſſam eſſe: initio pontifici capto oculos erui, & manuum digitos amputari: deinde ſordidis indutum veſtibus, manibus pedibusque revinctis aſino imponi, ac per urbem duci, tandemque è monte Tarpejo præcipitem dari juſſit. Creſcentium autem conſulem ex fuga retractum, vili quoque jumento, vultu ad caudam verſo, naſoque cum auribus abſciſſo, ut ſpectaculo eſſet omnibus, impoſitum, ante urbis mœnia in patibulo ſuſpendit.

Sic

Sic ergo punitis adverſariis, nonſolum Gregorius undecimo menſe, poſteaquam pulſus fuerat, ſedem priſtinam recuperavit: ſed & optimus ac præſtantiſſimus Imperator ſucceſſoribus commonſtravit, non manſuetudine pontifices vincendos, ſed ſeveritate cohercendos. Semper etenim quo quisque Cæſarum placidius erga eos ſe geſſit, tanto petulantius ejus manſuetudine ſunt abuſi, pudendis eos ludibriis proſequentes: ut id ex ſubſequentibus clare innoteſcet.

HENRICUS NIGER.

Benno Cardinalis de vita & rebus geſtis Hildebrandi.

OThonis, de qua diximus, ſeveritas, in Joannis perfidia punienda, Pontifices aliquandiu cohibuit, ne contra Imperatores quicquam aperte attentarent. At Benedictus XI, Pontificatum ſatanicis artibus ac magicis præſtigiis adeptus, tanto audacior extitit, quanto incantator ac necromanticus ſceleratior fuit. Namque defuncto Cunrado, legis & religionis cultore fideliſſimo, Romanorum Imperatore Auguſto: ipſe habito conſilio cum familiari ſuo Laurentio, & aliis ſuis complicibus, molitus eſt filium Imperatoris Cunradi Henricum Imperatorem ſucceſſione Imperii exturbare, & in Eccleſia diverſa ſchiſmata ſeminare. Miſit igitur coronam Romani Imperii Petro Regi Ungariæ, cum hujus verſiculi inſcriptione:

Petra dedit Romam, Petro tibi Papa coronam.

Sed Imperator duce Lotharingiæ Godfrido, viro fideli & bellis ſtrenuo, & inter regni princi-

principes clariſſimo, & oppugnandum Petrum miſſo, eum primo conflictu cepit, & ut digna factis tanti ſchiſmatis autori Theophylacto redderet, Romam venire conſtituit. Quo audito, Theophylactus, qui & Benedictus nonus, timore perterritus, vendidit Papatum complici ſuo Archipresbytero Eccleſiæ ſancti Joannis de porta Latina, magiſtro Hildebrandi, acceptis ab eo libris mille quingentis. Qui aſcendens ſedem tantæ iniquitatis gradibus, nomine mutato dictus eſt ſextus Gregorius.

Quia vero eo tum Pontificatus devenerat, ut qui plus ambitione & largitione valeret, is tantum dignitatis gradum bonis rejectis & oppreſſis retineret: & plures per poſticum ut fures & latrones, quam per oſtium ad ſacerdotium intrarent: ideo eiſdem diebus, præter Archipresbyterum Joannem Gratianum, ſcelerum ſedem conſcendit Joannes Sabinenſis Epiſcopus, qui mutato nomine dictus eſt Sylveſter tertius: & factum eſt, ut Romana Eccleſia in partes diverſas ſcinderetur. Decertantibus itaque de Papatu Benedicto nono, Sylveſtro tertio, & Gregorio ſexto: Henricus cognomento Niger, patri Conrado ſuccedens, rebus per Germaniam conſtitutis in Italiam cum exercitu contendit: ac habita ſynodo, Theophylactum in fugam coegit: Gregorium in cuſtodiam recluſit, ac poſtea cum Hildebrando in exilium in Germaniam miſit, ac Sabinenſem Epiſcopum ad ſedem propriam redire compulit: Syndegero Bambergenſi Epiſcopo, cui Clementi ſecundo appellatio fuit, in locum monſtrorum iſtorum ſuffecto, ab eoque accepta

Benno, Platina in vita Sylveſtri III. & Gregorii VI.

pta

pta Imperii corona, Romanos in verba ſua jurare compulit: pontificum electioni nequaquam ſe interfuturos, niſi id juſſu Imperatoris ipſis concederetur. Videbat enim optimus Imperator, eo licentiæ factioſum quemque & potentem, quamvis ignobilem, deveniſſe, ut corruptionibus ac ſcelere tantam dignitatem conſequeretur: quæ niſi ſanctitate & doctrina bene meritis, volente Deo, cuipiam mandari deberet. Adeo vere hic mos jam inoleverat, ut cuique ſeditioſo & ſcelerato liceret Petri ſedem invadere, ut abeunte Imperatore, Damaſus ſecundus, natione Bavarus, veneno in hos uſus parato, Clementem ſuſtulerit: quem virtus dare conſuevit Epiſcopatum, ſcelere comparaturus. Sed obſtitit DEUS, juſtus vindex: tertio & viceſimo die invaſi pontificatus, ipſum ad tartara detrudens.

HEINRICUS QUARTUS.

ETſi vero jam inde à tempore Caroli Magni Pontifices dominandi libidine accenſi, variis artibus atque inſidiis Imperatores oppugnârint, nihilque attentatum reliquerint, ut autoritate Imperatorum conculcata, impunita rerum omnium libertate potirentur: tamen malitia, impietas, atque perfidia ipſorum cum diabolico faſtu conjuncta, maxime ſub Gregorio ſeptimo ſathanico monſtro torrentis inſtar exundavit, Imperiique Majeſtatem fatali ruina proſtravit. Nam hic ſceleſtus, cum poſt ſex pontifices, arte ſua veneno necatos, Alexandro magiſtro, quem ſede pontificia ob

Benno.

implo-

imploratum Imperatoris auxilium dejecerat, ſucceſſiſſet, minime memor Heinrici Nigri beneficii, qui ipſum æterno carcere ab omni hominum ſocietate ſeparandum, è cuſtodia, in quam cum Gregorio ſexto (ut diximus) damnatus erat, benigne dimiſerat, atque ſervarat: ſed cum armis Nortmannorum, qui tum per Apuliam, Calabriam atque Campaniam, quas vi occupârant, debachabantur: tunc etiam opibus Mathildæ mulieris potentiſſimæ confiſus, atque occaſione difficillimorum bellorum, quæ tunc Imperatori vix decimumtertium annum egreſſo, cum Saxonibus infenſiſſimis hoſtibus intercederent, invitatus: & perfidia Epiſcoporum Germanorum, quos impoſtor diabolicus arte ab Imperatore alienârat, adjutus: primus contra morem majorum ſine conſenſu Imperatoris, antea ſemper in Pontificum electione interponi ſolito, Pontificatum invaſit. Ac ne ab Imperatore reliqui Epiſcopi atque abbates ſui confirmationem peterent, decreto ſub excommunicatione edicere, ſe non ſolum in cœlo ligare & ſolvere, ſed in terra quoque imperia, regna & principatus auferre & dare poſſe: impudentiſſime jactitare, ac temporalem ſupremamque jurisdictionem lege lata uſurpare, Reges atque Auguſtos ut precario regnantes floccifacere, nuncios Cæſareos conatibus ipſius refragantes in vincula conjicere, ac per urbem ignominioſe circumductos Roma pellere cœpit.

De hac Mathilde, qualis & cujus fuerit, vide Albertum Krantzium lib. 5. Saxoniæ, capite 13.

Formula decreti extat, c. ſi quis deinceps.

Henricus itaque, etſi difficillimo bello Saxonico diſtineretur, tamen novam atque inſolitam pontificis audaciam minime ferendam ratus,

ratus, concilium Wormatiæ indixit: in quo legatis, qui Roma venerant, auditis, & literis de Hildebrandi ſceleribus lectis, præter Saxones, omnes Epiſcopi Germani & Galli Pontificem Hildebrandum (cum primus ſine conſenſu Imperatoris Romani, rerum Domini à DEO conſtituti contra morem majorum, contra leges, contra auſpicia, pontificatum maximum monachus deſertor invaſerit, utrumque, & Imperium & Pontificatum, ſicut Decii, & falſorum deorum cultores factitare conſueverunt, uſurpet) Pontificatu abdicandum, nec oves lupo committendas, decernunt: Rolando quodam clerico Parmenſi cum epiſtola, quæ concilii ſententiam complectebatur, Romam miſſo, ut nomine ſynodi Gregorio pontificiis officiis interdiceret publice: præciperetque Cardinalibus, ut relicto Gregorio, alium pontificem habituri ad Imperatorem proficiſcerentur. Cæſar quoque & Hildebrando, & ſacerdotibus populoque Romano ſcribit, imperans ex concilii decreto, ut ille ad privatam vitam redeat: hi, deſerto Hildebrando, more majorum paſtorem ſibi deligant.

Hildebrandus nuncio harum rerum accepto, adeo nihil commotus eſt, ut & furioſius exarſerit, multoque inſolentior evaſerit. Nam cum ante quoſdam Imperatoris familiares excommunicaſſet, quorum conſiliis eum ad tales actiones impelli exiſtimabat, Cæſarem jam ipſum, in conciliabulo ſuo, contra ordinem judicandi ſacris canonibus determinatum, novo exemplo excommunicat, proſcribit, regia dignitate privat, regno ſpoliat, ſubditos à dato jura-

Formula abrogationis extat

juramento abſolvit. Verumtamen, ut primum ad excommunicandum Cæſarem de ſede ſurrexit, ſedes iſta noviter lignis fortiſſimis compoſita, ſubito Dei nutu terribiliter ſciſſa eſt in plures partes: ut manifeſte daretur intelligi, quod tam temeraria excommunicatione ſeſſor ille horrenda ſchiſmata contra Chriſti Eccleſiam ſeminaret.

apud Platinam in vita Gregorii VII. Benno.

Nec vero hæc fulmina penitus cæca & irrita fuêre. Principes etenim atque Epiſcopi Germani, Pontificis anathemate cognito, partim ſuperſtitione vana, partim ſpe amplificandæ potentiæ, partim odio antiquo Heinrici adducti, comitiis indictis, ni Heinricus à Pontifice in Germaniam venturo, ſupplex veniam peteret, defectionem minitantes: rem eo deduxêre, ut ipſe in anguſtiis poſitus, atque in periculum abrogationis Imperii veniens, ſe pontificem aditurum, culpamque deprecaturum, principibus polliceretur.

Itaque poſitis regalibus ornamentis, cum uxore ac filio parvulo, in aſperrima hyeme Canuſium periculoſiſſimo itinere ad Papam contendit, in laneis veſtibus, pedibus nudis, ſpectaculum angelorum & hominum factus, ante portas civitatis, à mane usque ad veſperam jejunus veniam ſupplex petit: Hildebrandi ludibria inter meretrices & monachos, in lachrymabili afflictione triduum perfert, cupiens ad illum intromitti. Sed ingreſſus denegatur. Petenti inſtantius per totum triduum, reſpondetur: Pontifici non eſſe adhuc otium colloquendi cum eo. Heinricus æquo animo ferens, ſe non intromitti in urbem: manſit in ſuburbio, non ſine magna incommoditate;

Benno. Nauclerus generatione 36. Urſpergenſis, Platina in loco ante citato.

hyems namque erat aſperrima, & cuncta rigeſcebant gelu. Indeſinenter tamen nequicquam toto triduo petens ſibi veniam dari: tandem rogantibus Mathilda comitiſſa, Adelao comite Subaudiæ, & Cluniacenſe abbate, ad Pontificem intromittitur. Quarto die, in ſignum quod veraciter pœniteret, Pontificiæ poteſtati coronam tradidit, cum omnibus Imperatoriis inſigniis: fateturque ſe indignum fore Imperii titulo, ſi eadem poſthac in Pontificem deſignaret, quæ antea commiſerat. Poſtulanti veniam, Pontifex neque veniam dare, neque ab excommunicatione abſolvere vult, niſi prius reciperet, ſe juxta Pontificis decreta velle culpam commiſſam expiare in Concilio, & quovis loco & die à Pontifice indicto præſto eſſe: & ipſo pontifice cauſæ cognitore, ad accuſationes reſpondere, nec ad vindictam intendere animum. Item ad pontificis ſententiam (etiam purgato ſe ab objectis) regnum vel retenturum, vel amiſſurum. Item, ante cognitionem cauſæ nolle regio habitu uti, aut regia inſignia ſumere: nec gubernandi poteſtatem uſurpare, neque à ſubditis data fidei juramenta exigere. Promiſſa vero Pontifici iſta obedientia, paceque jurejurando & ſcripto confirmata, Heinricus abſolvitur ab anathemate.

Vide Helmoldum cap. 28. & 29. in Chronicis Sclavorum.

Verum cùm pontificii hanc injuriam atque tyrannidem ſe minime impune laturos, Heinrico quiete data, perſpicerent: novo conſilio de eo exautorando inito, Rudolpho Sueviæ duci, Heinrici ſororio, coronam auream, quo ſeque reſque ſuas tutiores redderent, cum hac inſcriptione miſère:

Petra

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.
Et Gregorius Moguntino & Colonenſi Epiſcopis præcepit, ut Rudolphum, Heinrico deſerto, regem inungerent, atque pro viribus juvarent. Etſi autem Rudolphus non ſolum Imperatori fide obſtrictus, ſed & Mathildi ejus ſorore in uxorem ducta, affinitate junctus, denique ab eo poſt obitum Otthonis Sueviæ ducatu donatus, maximisque beneficiis affectus eſſet: tamen & Epiſcoporum ſpecioſis argumentis impulſus, & fretus ſua potentia, atque auxiliis Saxonum, Imperium invaſit, bellumque quanta vi potuit molitus eſt.

Cæſar itaque, qui de hoc per Argentinenſem Epiſcopum admonitus, ad tuendum Imperium copias contraxerat, & ſibi nihil ab omni parte tutum videret, mox Rudolpho occurrit, atque de ſumma rerum, pugna cum ipſo commiſſa, experitur. Cujus exitus is fuit, ut Papa ſuis metuens, utrique pacem mandaret: Synodi, quam in Germania indicturus eſſet, ſententia expectata. Verum cum Heinricus inſtitutum pontificis eluderet, dicens: Se minime permiſſurum conventum in Germania agi, niſi prius Rudolpho remoto: Pontifex, ne penitus Rudolpho deeſſet, excommunicationem in Heinricum renovat, & literas furoris plenas in ipſum emittit. At is minime iis fractus, tertio ad Elyſtrum Myſiæ cum Rudolpho congreſſus, eum prælio ſuperat, anno milleſimo octogeſimo, Idibus Octobris. *Execrationis tenor habetur apud Platinam.*

Rudolphus graviter in eo conflictu vulneratus, ex exercitu ereptus, perlatus eſt Merſeburgum: eoque ad ſe juſſit accerſi Epiſcopos & *Abbas Urſpergenſis fol. 238.*

Teſtatur autem hoc colloquium Rudolphi & Epiſcoporum, Heinrici Innocentiam & Epiſcoporum πολυπραγμοσύνην.

& primores ſuæ conſpirationis. Quo cum veniſſent, Rudolphus allata dextra, ex cujus vulnere mortem adeſſe maxime præſenſit, ait: Hæc eſt manus, qua ſacramentum præſtiti domino meo Heinrico. Vobis autem urgentibus toties tam infeliciter contra eum pugnavit. Ite & implete regi veſtro primam fidem: nam ego ad patres ibo. At Heinricus ſuperato Rudolpho, ſilentibus tunc nonnihil armis in Germania, injuriarum à pontifice Hildebrando illatarum non immemor: & irritatus non parum, quod ſe bis excommunicatum regno privaverat, reconciliationemque ſibi ſupplici toto triduo denegaverat in aſperrima hyeme: nec non Imperii æmulum contra ſe arte excitatum adjuverat, apud Brixiam Noricæ, ſynodum Epiſcoporum Italiæ, Lombardiæ & Germaniæ indixit. Quo omnibus convenientibus, & actis Hildebrandi examinatis, Epiſcopi conſentiente ſuffragio: Quia (inquiunt) non à Deo electum illum conſtat, ſed & à ſeipſo in fraude ac pecunia impudentiſſime objectum, qui eccleſiaſticum ſubvertit ordinem, qui Chriſtiani Imperii perturbavit regnum, qui regi Catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem, qui perjurum defendit regem, qui inter concordes ſeminavit diſcordiam, &c. nos autore Deo congregati in unum, legatis ac literis freti XIX. Epiſcoporum, die 8. Pentecoſtes Moguntiæ congregatorum contra Hildebrandum eundem procaciſſime ſacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria ac incendia defendentem, divinationum ac ſomniorum cultorem, manifeſtum necromanticum, Pythonico ſpiritu laborantem, & idcirco à vera fide exor-

Abbas Urſpergenſis loco citato.

exorbitantem, judicamus canonice deponendum & expellendum: & niſi ab ipſa ſede, his auditis, deſcenderit, condemnandum.

Poſt hæc Imperator motibus in Germania qualitercunque ſedatis, cum exercitu Romam contendens, anno Domini milleſimo octogeſimo primo, caſtris ante caſtellum divi Petri poſitis, crebris incurſibus Romanos ita infeſtat, ut pacem petere, & ſibi portas urbis aperire cogerentur, pontifice cum ſuis præſidiis in molem Adriani ſe recipiente: in qua obſeſſus, ipſe majori perfidia ac dolo Imperatorem, quam Imperator ipſum vi, mira audacia oppugnat. Nam cum Heinricus frequenter Eccleſiam S. Mariæ, quæ eſt in monte Aventino, adiret: hic promiſſa pecunia Hildebrandus quendam induxit, ut ſupra trabes Eccleſiæ occulte lapides magnos collocaret, & ita aptaret, ut de alto ſuper orantis Imperatoris caput deciderent, ipſumque contererent. Quod miniſter tanti ſceleris cum feſtinaret implere, & lapidem magni ponderis ſuper trabes aptare vellet, lapis pondere ſuo eum traxit: & fracta ſub trabibus tabula, & lapis & miſer ille homo, Dei judicio, in pavimentum Eccleſiæ cecidit, & eodem lapide contritus eſt. Hujus itaque rei geſtæ ordinem, poſtquam Romani cognoverunt, pede illius miſeri fune adſtricto, eum triduo per plateas urbis raptârunt. Adhæc, ne Rudolpho ſublato miſera Germania reſpiraret, efficit, ut Saxones Hermannum Lotharingiæ Lucelburgicæ principem, Imperatorem Islebii ad Herciniam crearent: qui divinitus in oppugnatione cujusdam arcis ſaxo à mulier-

Abbas Urſpergenſis.

Abbas Urſpergenſis. Helmoldus cap. 30. hiſtoriæ Sclavonicæ. Krantzius & alii innumeri.

muliercula è muro præcipitato cum aliis oppreſſus miſerabiliter interiit.

Hujus Ecberti marchionis Saxoniæ ſoror fuit Mathildis, de qua ſuperius aliquoties mentio eſt facta. Avitinus, ubi ſupra.

Nec vero adhuc immaniſſimi tyranni Hildebrandi malitia conquieſcere poterat, quin tertium adverſarium optimo Imperatori excitaret, Ecbertum nempe Saxoniæ marchionem: ſed & is debitas rebellionis pœnas exolvit. Nam quinto poſt anno in molendino prope Brunſvvigam à ſatellitibus Heinrici circumventus, & occiſus eſt miſere. Hildebrandus itaque ſociis ſuis in Germania profligatis, cum in mole Adriani concluſus, conſpectum Cæſaris reformidaret, pacis tractatione ſimulata, fugaque ornatu diſſimulato, Salernum ad Nordmannos turpi deſertione evadit.

Cæſar mox procerum atque Epiſcoporum ſenatu coacto, more majorum pontificialia comitia habet. In quibus Hildebrandus, tanquam fur ac latro, veluti perfidus transfuga, ovium deſertor, gregis proditor, Chriſtianæ charitatis oſor, omnium conſenſu abdicatur. Ac Guibertus Ravennatenſium Archiepiſcopus concordiæ ac pacis ſtudioſus, vir bonus ac eruditus, Epiſcopus eligitur, qui mox à clero nomine Clementis tertii inauguratus anno Chriſtianæ ſalutis milleſimo octogeſimoquarto, Cæſarem cum Bertha uxore conſecrat, & Auguſtos acclamante populo ſalutat. Hildebrandus autem interim, ſive conſcientia ſcelerum, ſive mœrore extorris aris & focis Salerni decedit.

Mors Hildebrandi.

Hac tanta face bellorum extincta, minime tamen rabies aliorum pontificum conquievit, ac pax orbi & majeſtas Imperio eſt reddita. Siqui-

Siquidem Urbanus poſt Victorem ſecundum paucorum dierum pontificem, factione Hildebrandina ac maxime Mathilde favore à Nordmannis Garſtungi in pontificatum intruſus, cum ab Imperatore ac majori procerum parte irreligioſitatis accuſatus, ac in impiorum numerum relatus, diu ſine lare ac ſine grege oberraſſet, ita artificioſe ſcelerum telam ab Hildebrando inchoatam pertexuit, ut & pro Urbano Turbanus diceretur, & magiſtrum Hildebrandum longiſſime ſuperare videretur. *Benno.*

Nam cum aliis nocendi artibus Heinricum petere non poſſet, Hildebrandi peſtilentiſſimi nebulonis acta rata firmaque eſſe jubet: ac filium Heinrici Conradum ex prima conjuge natum, quem pater Italiæ præfecerat, in eum parricidialiter concitat, data illi Rogerii Nordmanni uxore Mathilda, ejusque auxilio Clementem tertium à patre Pontificem conſtitutum ſede pellit. Et mox utroque, Urbano atque Conrado ſublatis, Paſchalis ſecundus, ne à prædeceſſoribus ſcelere ſuperatus eſſet, nec quid ſpatii Heinrico ad ſe colligendum relinqueretur, Urbani exemplo anathema Gregorii in Heinricum IV. promulgatum, Romæ in ſynodo renovat, & confirmat: & alterum filium Heinrici, patri cognominem, quem jurejurando adactum, ſe nunquam à patre defecturum, principes Aquisgrani Cæſarem conſalutarant, ad parricidialem rebellionem impellit: ejusque Saxonum viribus ſuffulti opera rem eo deducit, ut vir fortiſſimus & majeſtatis Imperii vindex acerrimus, longis certaminibus & crudeliſſimis exagitationibus Paparum defa- *Abbas Urſpergenſis. Aventinus, & Naucler.* *Vide Krantzium lib. 5. c. 22. Urſpergenſem, fol. 262.*

P 4

Helmoldum in annalibus Sclavorum, lib. 1. cap. 32.

defatigatus, cum Moguntiam ad comitia iret, in itinere per inſidias contra fidem publice datam à filio Henrico caperetur, & inſigniis imperialibus, & corona Cæſarea per Moguntinum, Colonienſem & Wormacienſem Epiſcopos contra voluntatem privatus, Leodium cuſtodiendus mitteretur: ibique mœrore conſumptus, vitam miſerabili fine clauderet.

Adeo autem Pontifices in fortiſſimum Imperatorem irreconciliabile odium conceperant, ut non ſatiari crudeliſſima exagitatione viventis potuerint: ſed hyænarum inſtar, immani rabie etiam in cadaver defuncti ſævierint. Nam cadaver ipſius in monaſterio Leodii humatum, à loci ejus Epiſcopo effodi, & abſque ullo ſepulturæ honore, in loco prophano inter alia cadavera reponi juſſerunt: quod, quibus vivis Eccleſia non communicat, illis etiam nec mortuis communicare poſſit. Ac deinde Leodio in ſarcophago lapideo Spiram translatum, per totum quinquennium honore ſepulturæ caruit.

Vide Krantzium lib. 5. Abbat. Urſpergenſem, fol. 264. Heinricum Mutium lib. 17. Chronicorum.

HEINRICUS QUINTUS.

NEque vero Heinricus Quintus, cum falſæ perſuaſionis faſcino inductus, patri cum vita Imperium parricidialiter eripuiſſet, aliam quam pater pontificum benevolentiam fidemque ſenſit.

Siquidem cum Romam ad Imperialem coronam accipiendam profectus, jus imperiale in conferendis Epiſcopatibus, abbatiis & prælaturis repeteret: Pontifex omnis officii accepti immemor, conſtanter id denegat. Tumultu vero

vero inde exorto, ita ut Pontifex una cum quibusdam caperetur, & ad montem Soractem, quem nunc S. Sylveſtri vocant, abduceretur: Paſchalis evocatis ex urbe notariis, pacta & privilegia antiqua Imperatorum de creatione & inveſtitura pontificis & Epiſcoporum tandem confirmat & innovat, & contra ab Imperatore ampliſſimis donis ornatur. Sed juſto Dei judicio Heinrici peccatum vindicantis accidit, ut quam ipſe parenti fidem non ſervaſſet, nec ipſe in aliis experiretur: & quibus ipſe patre deſerto ſe conjunxiſſet, hos hoſtes crudeliſſimos ſentiret. Nam mox ubi ille anno 1116. in Germaniam rediit, Papa ingenti ſymmiſtarum ſynodo coacta, & peccato, quod remiſſione iſtius privilegii commiſiſſet, deplorato, Gregoriique ſeptimi decretis confirmatis, omnia poſt longam diſcuſſionem mutat atque invertit: ac Imperatorem more jam recens orto excommunicat. Ea res multos Germaniæ principes, inque his maxime Moguntinum, ad rebellionem commovit. Cæſar itaque ad Pontificem legatis miſſis, de pace actionem inſtituit: ſed ea morte Pontificis abrumpitur. Ab ejus obitu cum Gelaſius Pontifex à Cardinalibus crearetur, Cæſare non interpellato, Imperator nullam ſui rationem habitam eſſe moleſte ferens, mox Romam venit, & Mauritium Bracharenſem Archiepiſcopum Papam conſtituit: Gelaſius vero dejectus, Cæſarem abeuntem una cum Papa novo devovet: & per Germaniam legatis miſſis, exemplo prædeceſſorum ſubditos ad defectionem hortatur. Quare Heinricus rebus ſuis metuens, in Germaniam revertitur. Tandem

c. Adrianus.
c. In ſynodo, 63. diſtinct.
c. inter vos.

c. Si quis.
c. conſtitutiones 16. *q.* 7.

dem mortuo Gelaſio, cum qui in ejus locum ſuffectus erat, Calixtus ſecundus deturbaſſet Antipapam ab Heinrico (ut diximus) conſtitutum: & Heinricus potentiam Papæ Nordmannorum viribus ſuffulti creſcere, ſeque iisdem artibus, quibus pater everſus fuerat, peti videret: anno Domini 1122, Apoſtolicæ ſedis legato Lamperto, qui poſtmodum ſummus Pontifex factus, Honorius eſt dictus, allaborante, ita conciliatur Papæ, ut Imperator inveſtituram omnem per annulum & baculum dimitteret, & concederet in omnibus Eccleſiis fieri electionem, ac liberam conſecrationem: & regalia ablata, ſi quæ haberet, reſtitueret: aut certe, ut reſtituerentur procuraret.

Urſpergenſis fol. 271. Nau. gen. 37. Friſingenſis lib. 7. cap. 16. Cuſpinianus in vita Heinrici V.

Pontifex rurſus conceſſit electionem Epiſcoporum & abbatum in præſentia Imperatoris fieri, ſine violentia: ita ut electus regalia per ſceptrum ab Imperatore reciperet. Concordia hæc eſt facta Wormatiæ, nono Calend. Octob. anno M. D. XXII.

Sed etſi Heinricus fractus anathematum diris, rapacitati pontificum ceſſerit, ac tyrannico pontificum jugo cum perpetuo Reip. dedecore atque incommodo collum ſubmiſerit: pace tamen optata frui non potuit, novis turbis & in Belgico & in ſuperiore Germania excitatis. Ad quas ſedandas cum Trajectum proficiſceretur, in morbum incidit: quo mortuus eſt, ſine liberis penitus, quod tunc plerique non immerito ratiocinati ſunt, eſſe pœnam Dei: propterea quod ille parum recte ſecundum Dei mandatum, tum coluerat optime de ſe meritum patrem.

LOTHA-

LOTHARIUS SAXO.

HEinrico extincto, etſi Germania mutuis inter ſe viribus colliſa atque enervata eſſet: in hoc tamen Pontifices incubuêre, ne vires colligeret, atque à bellis civilibus reſpiraret. Quare poſt obitum Heinrici, Cunrado Sueviæ duce, ex Heinrici quinti ſorore nato, ad Imperium aſpirante, ei Lotharium Saxoniæ ducem, quo antea in opprimendo Heinrico Quinto auxiliatore uſi fuerant, arte Archiepiſcopi Moguntini Alberti, oppoſuêre. Ac cum Cunradus jugo Septimi montis transſcenſo, à Mediolanenſibus honorifice ſuſceptus, & ab eorum Archiepiſcopo Anſelmo Modoeciæ, ſede Italici regni, rex unctus eſſet: Honorius pontifex, qui Lothario faveret, ac familiam Heinrici Imperatoris oppreſſam cuperet: Anſelmum, quod Imperatorem coronaſſet, depoſuit, ipſumque ex Italia anathematis fulmine expulit: ita ut propter diſſenſionem ac factionum ſtudia auxiliis Germanicis nudatus, ſpem omnem regni abjiceret, Lothario ſibi per interceſſionem Sancti Bernardi Clarævallenſis reconciliato.

Otho Friſingenſis lib. 7. cap. 17. Naucler. generat. 38.

Lotharius ergo ſolus rerum potitus, cum inſigni obſervantia pro Saxonica ſimplicitate Romanam ſedem coleret, de ea bene mereri non deſtitit. Nam cum Innocent. II, qui Honorio in Pontificatu ſucceſſerat, ab Anacleto Antipapa & Rogerio duce Apuliæ pulſus, ad eum pro reſtitutione Leodium veniſſet: Imperator ejus precibus acquieſcens, magno cum exercitu eum ſedi Barioneæ reſtituit.

Verum-

Nauclerus generatione præallegata, hoc factum eſſe Leodii ante Italicam profectionem ſcribit. Urſpergenſis.

Verumtamen nec officiis, nec potentia ejus, pontificia avaritia frangi molirive potuit. Nam cum Lotharius Imperator à Pontifice renunciatus, vetera Imperatorum jura in conferendis Epiſcopatibus ac Abbatiis ſe repetiturum oſtendiſſet: Pontifex ea inuncata harpyiæ inſtar, non ſolum ſibi minime eripi paſſus eſt: ſed & iis quæ Lotharius ſive Bernardi Clarævallenſis, quem ſecum Romam duxerat, perſuaſione, ſive metu majorum motuum ſedi pontificiæ remiſſis, & alia quoque inexplebili cupiditate adjicere ſtuduit. Siquidem cum Lotharius, pulſo Rogerio Apulo, ducatum Apuliæ comiti Raynaldo exercitus ſui duci contuliſſet, de jure dandi ducatum Pontifex tanta contentione cum ipſo diſceptavit, ut cum neuter alteri totum jus cedere vellet, controverſia tandem hac ratione dirimenda fuerit, ut uterque manum apponeret vexillo dando novo Apuliæ duci, quo declararetur utrique jus eſſe donandi ducatum Apulienſem. Idne Chriſti, Pauli, aliorumque Apoſtolorum doctrinæ congruum, Epiſcopos minime de dominando cogitare, Regibus honorem deferre, negotiis ſecularibus minime implicari, denique beatius eſſe dare quam accipere, volentium? Verum cum jamdiu Chriſti Apoſtolorumque doctrina neglecta ac penitus irriſa, Romana ſedes imperare, quam imperio ſubeſſe, honorari, quam debitum honorem magiſtratui deferre, ac rapere, quam dare, glorioſius ducat, hæc aliis prædicentur, ac interim Romaniſtæ veſana ſua libidine ferantur.

Otho Friſingenſis, & Nauclerus, locis præallegatis.

Porro,

Porro, ut Lotharii Imperatoris omni laude dignissimi in ſedem pontificiam obſervantia, cum inſigni bonitate ac moderatione conjuncta tunc temporis emicuit: ſic proterva ac abominabilis Romaniſtarum malitia ex humilitate, ſeu potius ſuperſtitioſa religione Imperatoris tunc intrepide ſeſe exerere cœpit. Nam cum ille coronam accipiendo ſeſe ad pedes pontificis abjeciſſet: Romaniſtæ, ut in præjudicium aliorum Imperatorum id contorquerent, & ad poſteros inſtar trophæi de hoſte devicto transmitterent, poſt ejus diſceſſum in palatio Lateranenſi picturam cum hujusmodi inſcriptione poſuerunt: *Radevicus lib. 3. cap. 10.*

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores:
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

Hoc ipſo & animi ſui protervam ſuperbiam in Imperatore contemnendo prodentes: ejusque rerum geſtarum magnitudine clariſſimi, laudes fœdiſſime obſcurantes: ut qui cum Polonorum ducem ſibi tributarium fecerit, Pomeranos ac Rugios ſubjecerit: regem quoque Daniæ ut enſem ſibi ſub corona deferret, ad decorem Imperialis dignitatis compulerit, Cremonenſes ſubjugarit, Papienſes, Bononienſes atque Taurinos devictos in formam provinciæ redegerit, Rogerioq; Apuliæ duce ejecto ampliſſimas in ea regione urbes expugnârit: Papæ tamen viliſſimi mancipium fuerit. Quid enim Papæ hominem fieri aliud eſt, quam ejus mancipium vel ſervum eſſe? O egregios ſervos ſervorum, quos ipſi Imperatores dominos agnoſcere & colere coguntur. *Cuſpinianus in vita Lotharii Saxonis. Nauclerus generatione 38.*

CUN-

CUNRADUS III.

Lothario, dum ex Italica profectione ſecunda domum rediret, prope Tridentum rebus humanis exempto, in Imperio ſucceſſit Cunradus dux Sueviæ: is, quem Honorii pontificis malevolentia, Imperii culmine dejectum, èque Italia pulſum fuiſſe retulimus. Etſi autem poſt obitum Lotharii, Confluentiæ à principibus Imperii rex Romanorum, præſente Theodorico Cardinale, legato Innocentii ſecundi, eoque aſſenſum præſtante, electus ſit: non tamen aſſenſum ſperata pontificis benevolentia eſt ſubſecuta. Nam cum Rogerio Apuliæ duci, à quo cum aliquot Cardinalibus in pugna captus fuerat, Apuliam cum titulo regio, quo ex cuſtodia liberaretur, contuliſſet: nec Cunradus id in præjudicium Imperii factum, ratum firmumque habere vellet: Nocentius cum Rogerio ſentiens, Gvvelfonem Bavariæ ducem, Cunrado regi, ob id quod fratris Heinrici Superbi ducatum ab ipſo adipiſci nequiret, rebellem, pecunia Italicoque exercitu juvit: ut Imperator ſuis defendendis occupatus, de Sicilia Apuliaque recuperandis cogitationes abjicere cogeretur. En inſignem Pontificis benevolentiam in Imperatorem, ejus cupiditatibus in imperii detrimentum aſſentiri nolentem. Et hoc tempore ferales Gibellinorum atque Guelforum factiones, de quibus alii alia tradiderunt, in Germania initium ſuum habuêre.

Cuſpinianus in vita Cunradi.

Nauclerus ex Antonino & Godfrido, generat. 38.

Nauclerus generat. 38. *& generat.* 32. *Bartolus in peculiari libro de Gibellinis &*

Nam ut ex Hermanno refert Nauclerus, dum prælio inter Cunradum & Gvvelfonem commiſſo, hi qui regiarum partium erant, hoc quaſi

quaſi ſymbolum haberent, Hie vviebling, regem intelligentes, quod is in eo pago vetuſtæ nobilitatis nutritus ferebatur: qui vero Gvvelfoni adhærebant, inter pugnandum clamarent, Hie vvelff: factum eſt, ut ea nomina ab auxiliaribus Gvvelfonis copiis, poſtea in Italiam omnium factionum matrem illata, Gibellinorum & Gvvelphorum factionibus occaſionem præbuerint: quæ deinceps à Gregorio IX. pontifice nutritæ, adeo late ſerpſere, ut nulla civitas, nullum oppidum, nullus populus ea labe pernicioſiſſima intactus remanſerit. Urbs enim in urbem, provincia in provinciam, hæc populi pars in alteram, nulla impellente alia quam harum partium cauſſa, usque ad hæc noſtra tempora miro furore inter ſe ſæviêre. Nec modo ipſæ partes inter ſe perpetua diſſenſione concertarunt: ſed & ipſi pontifices, quos contrariæ partis eſſe ſciverunt, implacabili odio ſunt proſecuti. Nam cum alii, tum vero Bonifacius ille octavus, quo vix tetrius monſtrum cathedræ Romanæ incubuit, quotquot Gibellinæ factionis novit, eos, quocunque ſe contulêre, eſt inſecutus, loca omnium, ad quæ ſe recipiebant, vaſtans ac populans. Unde quidam eorum nullum locum ſibi ab eo tutum videntes, nemora ac ſaltus incoluêre: quidam ex nobiliſſimis Italiæ familiis, cum littora maris aliquandiu veluti feræ inhabitaſſent, cum piratis tandem ex Italia abierunt. Mitius enim ſe à piratis tractandos noverant, quam ab iſto Malefacio Nerone octavo, ſi forte in ejus manus incidiſſent. Quinetiam eorum quoſdam Genuam conceſſiſſe audiens, & illuc ipſe ſe con-

Gvvelphis. Panormitanus in c. Lucianis & Piſanis de reſtit. ſpol. Cuſpinianus in vita Friderici II. cum aliis quos ipſe allegat.

Platina in vita Bonifacii octavi. Nauclerus gener. 44.

contulit, ut eos omnino deſtrueret, eorumque nomen ex hominum memoria ac orbe terrarum tolleret. Cumque in die, quem Cinerum vocant, cineres populo pro more illic miniſtraret, Archiepiſcopo urbis Procheto ad pedes ejus genibus flexis, ac aperto capite, ut cineres acciperet, prodeunti: ille, qui eum Gibellinæ factionis eſſe audierat, cum dicere deberet, Memento homo quia cinis es, & in cinerem revertêris: mutatis verbis dixit: Memento homo quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem reverteris; nullaque loci ſacri, nulla populi aſtantis, nulla religionis ratione habita, in oculos, non in caput (uti mos eſt) Archiepiſcopi furibundus magnam cineris quantitatem conjecit: eundemque Archiepiſcopum dignitate privavit, licet poſtea reſtituerit. Hoccine erat benedicere, vel maledicere? ſcurram, an pontificem in ſacris agere? Hoccine erat, ſecundum Chriſti præceptum inimicos diligere, iisque benefacere? O pontificem non Bonifacii, ſed Malefacii nomine digniſſimum. Tandem tamen divino judicio factum eſt, ut hi qui Italiam deſerentes cum piratis fugerant, rurſus in Italiam à Deo veherentur: ac collectis paucis aliquot, qui Malefacii rabiem fugientes, modo hic modo illic delituerant, Anagniæ beſtiam nihil tale metuentem, refractis valvis caperent, atque Romam ducerent: ubi trigintaquinque dierum ſpatio, præ dolore ac rabiei magnitudine deſperabundus, infelicem animam innumeris malefactis onuſtam emiſit.

FRIDE-

FRIDERICUS BARBAROSSA.

CUnrado optimo regi, ac belli paciſque ſtudio clariſſimo, ſucceſſit Fridericus, vulgo Barbaroſſa, à barba rubea cognominatus, filius Friderici ducis Sueviæ, fratris Cunradi regis, Princeps fortunæ animique dotibus ornatiſſimus. Ut etenim de ejus nobilitate nihil dicam, cujus germen totum ex illuſtriſſimis in orbe Romano familiis Heinricorum de Gvveiblingen & Guelforum de Altorff, in ipſum transfuſum fuiſſe ſcribitur, omnium ſcriptorum teſtimonio, ingenio ſolers, conſilio providus, memoria pollens, facundia dulcis, animo conſtans, manu ac robore validus, bello ferox, in armis exercitatus, ſupplicibus facilis, placidis tranquillus, juſtis pius, ſuperbis infeſtus, liberalitate celebris, multarumque rerum peritia nemini ſecundus fuit. Quare eo omnium principum ſuffragiis Francofurti Imperatore deſignato, animi omnium in maximam ſpem erecti fuêre: fore ut ejus virtute, pace in imperio conſtituta, Imperii vires acciſæ reſtaurarentur, Italiaque rebellione inſolens ad debitam obedientiam redigeretur.

Friſingenſis lib. 2. cap. 2.

Guntherus in Ligurino lib. 1. Nauclerus gener. 39.

Sed cum jampridem pontificiæ contentiones cum Imperatoribus peſſimo exemplo inoleviſſent, pontificibus imperatoriam Majeſtatem, quam ſuo ſuffragio ratam facerent, nihili flocci que facientibus: principibus vero noſtris præpoſteram ambitionem, faſtumque immenſum ſacrificii Romani ægre, idque non immerito ferentibus: tanto plura acrioraque certamina, quæ id impedirent, ei nata objectaque fuêre,

Cuſpinianus in vita Friderici.

quanto ſublimiore, generoſioreque animo, fortiſſimus heros hominum profligatiſſimorum faſtum retundendum eſſe cenſeret. Etſi autem digna eſſent univerſa, quæ ab omnibus cognoſcerentur: tamen cum nec operis nec inſtituti hujus ſit, ut ſingula conſecter, ſed ea Iliada peculiarem requirant: ideo quædam breviter ſaltem attingam, (meo judicio) ſatis commonſtratura, quæ obſervantia & fides pontificum ejus temporis erga præſtantiſſimum Imperatorem fuerit.

Anno itaque ab electione tertio, Fridericus rebus in Germania conſtitutis, & maxime diſcordia inter Heinricum juniorem Saxoniæ, & Heinricum Auſtriæ duces, ob ducatum Bavariæ & Saxoniæ, multo admirandoque labore compoſita, in Lombardiam, quæ ſuis confiſa viribus propter longam Imperatorum abſentiam ad inſolentiam & rebellionem inclinare videbatur, valida manu movet: ac in itinere rebellium Mediolanenſium caſtris Roſato, Gailarda, Treca & Gaira deſtructis, Aſtam civitatem incendio vaſtat: & Derthonam arte & natura munitiſſimam, obſeſſam vi cepit, ac inde per Romaniam & Tuſciam citatis agminibus Sutrium usque pergit. Graviſſimis contentionibus ſedes Romana eo tempore implicita erat. Nam & Guilhelmus Siciliæ rex, qui mortuo Rogerio ſucceſſerat, ei de quo ſupra in Cunrado mentio eſt facta, Hadriano quarto, natione Anglico, pontifice, Beneventana ſuburbia, Ceperanum, Baucumque in Hernicis Eccleſiæ Romanæ ademerat: & Romani inſtinctu Arnoldi Brixiani amiſſam libertatem eli-

Nauclerus ubi ſupra. Radovicus lib. 3.

Platina in vita Hadriani quarti.

eligendi ſenatus & adminiſtrandæ urbis repetentes, eo contentionum contra Pontificem proceſſerant, ut Hadriano poſt electionem cauſa faciendæ conſecrationis in Lateranum ituro, populus cardinalem ſanctæ Pudentianæ ad pontificem via Sacra proficiſcentem, uno atque altero vulnere affecerit. Hadrianus ob hanc rem graviſſime indignatus, regem gravi anathemate notârat, ejusque ditioni ſubjectos omni ſacramento liberârat, quo facilius à rege deficerent, nullo jurejurando aſtricti. Romanos etiam acerba execratione perſecutus erat, quoad mutata ſententia Arnoldum urbe pellerent: & conſules, relicto pontifici libera adminiſtrandæ urbis facultate, ſe magiſtratu abdicarent. Cæterum audito Friderici adventu, ei, cum Cardinalibus, non honoris gratia, ſed vindictæ de Romanis & Rogerio obtinendæ cupiditate, obviam procedit. Fridericus ſanctiſſimi patris adventu gaviſus, venientem magna cum devotione & honorificentia excipit, ſiniſtram ſellæ ſtrepam de jumento deſcendenti tenens, eumque in tentorium Imperiale deducit. An major reverentia Pontifici ab Imperatore exhiberi potuiſſet? An Chriſto Hieroſolyma in die Palmarum ingredienti, Herodes atque Pilatus ſic etiam miniſtravere? An Petrum Romam venientem, ita Nero ſuus excepit?

Funccius lib. 10. *Chron. Barnus de vitis pontificum.*

Porro cum in tentorium ventum fuiſſet, tunc nomine Imperatoris Epiſcopus Bambergenſis orationem exorſus, quanto Imperator deſiderio colloquii Papalis fruendi flagrârit, commemorat: ac optimo maximo Deo gratiis actis, qui ipſum ejus compotem feciſſet, ſupplicitet

Helmoldus in Chronicis Sclavorum, cap. 81.

 pliciter

pliciter atque ſubmiſſe petit, ut Fridericum, orbis Chriſtiani ſupremum principem & defenſorem, pro ſolito more, diademate Imperiali inſignire dignetur: cauſas, ob quas eo digniſſimus ſit, probe & eleganter adjiciens. Pontifex, Bambergenſis oratione finita, præclare ea dicta fuiſſe præfatur: ſed rem orationi minime congruere, ait. Etſi enim leve atque exile ſit, de quo verba facturus eſſet: negari tamen non poſſe, quin ut qui in minutioribus negligentior deprehendatur, ne talis quoque in majoribus ſit, juſte timeatur. Ad hanc pontificis orationem omnium auribus arrectis, atque animis ſollicitis, quodnam peccatum eſſet? ille proſequitur: Deſcendenti, inquiens, ex equo ſiniſtram ſellæ ſtrepam tenuit: id an in ludibrium noſtrum, vel alia de cauſa fecerit, ignoramus. Siquidem ſi honore nos afficere voluiſſet, dextra ſellæ ſtrepa, eaque manu dextra contrectanda fuiſſet. Cæſar Pontificis oratione nonnihil commotus, paulumque ſubridens, reſpondit: Minime ſe ſtuduiſſe apprehendendis ſtrepis. Tu (inquiens) Pater, primus es cui tali officio deſervimus. Et bile inter orandum creſcente, addit: Scire velim abs te, officii hoc genus an ex debito ſit, an ex beneplacito? Quod ſi ex benevolentia deſcendit, quis cauſabitur culpam in ſpontaneo: ſin ex debito, parum intereſſe putamus, quo latere acceſſerit, qui venerabundus accedit. Severius ſic collocuti, diſcedunt utrinque non ſine ſtomacho. Imperator tamen princeps prudentiſſimus, diſſimulans ea omnia quæ de diabolico faſtu Pontificis audierat ac viderat, die

poſtero

poſtero Pontificem in caſtra ad colloquium revocat. Pontifici itaque advenienti, Imperator obviam it: atque ex priore ejus objurgatione doctior factus, dextram ſellæ ſtrepam apprehendit, ac in tentoria ſanctiſſimum patrem deducit. Conſidentibus ipſis, Hadrianus Pontificio ore intonat: Priſcæ (inquiens) ætatis principes, anteceſſores tui, qui ad petendam coronam venêre, ſolebant inſigni aliquo officio Romanæ Eccleſiæ benevolentiam promereri, ut ſuo velut officio prævenientes benedictionem & debitam coronam omnibus præclaro facinore teſtarentur. Sic Carolus, dum domuit Longobardos: Ottho, dum compeſcuit Berengarios: Lotharius, dum Normannos repreſſit, coronam Imperii meruère. Quocirca tua Serenitas Apuliam, Romanæ Eccleſiæ provinciam, jam à Normannis occupatam, nobis Eccleſiæque reſtituat: deinde quæ noſtri officii ſunt, facile exequemur. Ecquis hunc ſacerdotem ſervum ſervorum diceret, qui ab ipſo Imperatore regum rege, ac domino dominantium, tanquam mediaſtino vel mercenario milite, gratuitam militiæ operam exigere non erubeſcit? Et nunquid hunc ſpiritum Papæ, pacis quis magis, an homicidii putabit?

Barnus in vita Hadriani, ex Johanne de Cremona.

Cum ergo principes viderent, Pontificem omnino animum obfirmaſſe, quod Fridericum coronare nollet, niſi prius Apuliam, quæ tamen juris Imperii eſſet, à Guilhelmo Siculorum rege occupatam, armis & impenſis ſuis Apoſtaticæ ſedi acquireret: pollicentur id futurum, collecto novo exercitu à Cæſare in Germaniam reverſo, cum præſentes copiæ eſ-

ſent detritæ, & ex diuturno labore longoque itinere defatigatæ. Etſi autem Pontifex, qui odio Guilhelmi arderet, invitus ei ſpatium ſui colligendi, dari permitteret: tamen cum Principum poſtulata æqua cerneret, iis annuit, atque ſe Fridericum corona donaturum affirmat.

Friſingenſis lib. 2. cap. 21.

His ergo peractis, Imperator cum Pontifice Sutrio diſcedit, ac Romam contendit. In itinere vero dum eſt, Oratores Romanorum obvios habet, non minore arrogantiæ faſtu, quam pontifex fuiſſet, tumidos. Hi namque antiquæ urbis nobilitate, ac veteri ſtatu Reipub. ad ſidera usque ſublato, tandem gloriari cœpere: per Romanum populum Fridericum è Germania trans Alpes evocatum: primo civem, poſt principem Romanum factum eſſe. Hac cum conditione Romanos ad ſuſcipiendum eum paratos eſſe, dicentes: ſi antiquas ipſorum leges confirmet: Romanis, à quibus ei in Capitolio acclamandum ſit, usque ad quinque millia librarum auri numeret: injuriam à Republica etiam ad ſanguinis effuſionem propellat: & hæc omnia propria manu, & juramenti interpoſitione confirmet. Fridericus tam veſana ipſorum jactantia accenſus, dementiam ipſorum graviſſima oratione redarguit, oſtendens, non ex Romanorum beneficio, ſed Germanorum virtute, ſibi Imperium obtigiſſe.

Helmoldus in Chronicis Sclavorum cap. 80.

Cumque hoc agi ab ipſis cerneret, ut ſub prætextu poſtulatorum, cenſum à ſe elicerent: Non ſe ut argentum in Italiam inveheret, ſed ex ea aſportaret, veniſſe dicit: eosque id impudentius urgentes, à ſe repellit.

Cumque

Cumque dolo eos veniſſe ſentiret, milites præmittit, qui Eccleſiam beati Petri, & arcem Leoninam munitam ſervent. Subſequenti die, ipſe Romam læta comitante caterva ingreditur: ac honorifice ſuſceptus, Imperii coronam cum benedictione 4. Calend. Julii, anno regni ſui quarto, ab Hadriano quarto ſuſcipit. At dum in baſilica beati Petri Imperator coronatur, interea Romani id ægre ferentes, aſſumptis armis portas urbis tenuêre clauſas, ne qua vis ab Imperatore ſibi inferretur. Ac cum viderent Friderici copias in pratis Neronianis fixiſſe tentoria, per portam Hadriani erumpunt in Vaticanum, abacturi Cæſareanos ab ingreſſu urbis. Cæterum Cæſareanis fortiter reſiſtentibus, atque ferocem populum ex Vaticano in urbem repellentibus, circiter mille Romani cecidêre, & ſexingenti pene capti fuêre: quos deinde Imperator, ſacris de more peractis, ad preces Pontificis incolumes dimiſit, reditumque in Germaniam paravit. Ante tamen quam id fieret, rem talem cum pontifice tractaſſe ſcribitur, quæ hic minime prætereunda videtur. Eſt vero hæc. Innocentius Papa ſecundus, is quem ſuperius à Lothario in ſedem pontificiam reductum fuiſſe diximus, cum Lotharius complicatis manibus coronam Imperii à ſe ſuſcepiſſet, imaginem ſuam, quaſi in ſede pontificiali reſidentem, cum Imperatoris figura, totum factum repræſentante in muro depingi fecerat, hoc verſiculo adjecto, ut ſupra quoque retulimus:

Naucler us gener. 39. Friſingenſi s lib. 2. cap. 22. Cuſpinianus in vita Friderici.

Chronicon Hirſaugienſe in vita Hartwigi Abbatis. Radevicus lib. 3. num. 9. & 10.

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores:
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

Talis itaque pictura, talisque inſcriptio per fideles Imperii hoc tempore ei monſtrata, cum ſummopere diſpliceret, objurgatione præcedente cum Papa de ea tollenda agit: ita ut ipſe poſtulatis Imperatoris ſubſcriberet, ne tam vana res ſummis in urbe viris diſcordiæ materiam præbere poſſet.

Cæterum poſt diſceſſum Friderici, cum Emanuel Imperator Conſtantinopolitanus pontificem odio Wilhelmi Apuliæ regis ardere sciret: ipſe, qui non minus exitiale odium erga ejus parentem defunctum haberet, pontifici per Palæologum oratorem & nuncium ſuum, quinque millia librarum auri ſponte offert, ſeque Guilhelmum ex Italia ejecturum pollicetur, ſi rebus bene geſtis tres maritimæ in Apulia urbes ex fœdere ſibi dentur. Ille ergo qui jampridem ad eas artes animum intenderat, quibus Wilhelmum, omnes diras & execrationes pontificias extreme ſpernentem, Apulia privaret, oblatas conditiones facile acceptat. Id vero cum Guilhelmus reſciviſſet, ſibi male metuens, pacem per legatos à pontifice petit: promittens, ſe omnia Eccleſiæ adempta non tantum reſtituturum, ſed & quædam additurum: adhæc Romanos Eccleſiæ rebelles, ſe in officio retenturum. Splendidæ hæ conditiones erant: ſed ne Papa eas admitteret, quidam Cardinales diſſuadebant, ſperantes plus lucri ex bello quam ex pace. Bellum igitur Guilhelmo denunciatur. Quo ille cognito, atque ex tota Sicilia exercitu contracto, Apuliam hoſtili claſſe petit: eaque ferro & igni devaſtata, Emanuelem qui caſtra prope Brunduſium locarat, cum

Nauclerus gener. 39.

eum Græcis in fugam vertit: Beneventum urbem, ubi tum Papa cum ſuis Cardinalibus erat, ita oppugnat, ut de vita deſperantes pacem peterent. Conceſſit Guilhelmus, inque gratiam recipiebatur à Papa, & Rex utriusque regni tam citra quam ultra Pharum poſiti declarabatur: prius tamen juramento præſtito, ſe in poſterum, quæ Eccleſiæ Romanæ eſſent, minime infeſtaturum. Rebus itaque cum ſumma ignominia ſic confectis, Papa per Caſſinates, Marſos, Reatinos, Narnienſes ac Tudertinos tandem Orvetum pervenit, ibique cognoſcit Romæ omnia turbarum plena, conſulibus urbem in antiquam libertatem aſſerere conantibus. Tum vero exitiale in Fridericum odium concipit, vehementiſſime conquerens ſe inter Romanorum & Guilhelmi gladios nuper verſantem, ab eo præter magnifica ejus promiſſa deſtitutum eſſe: & ita ſe modo agitari, ut Romæ tuto eſſe non liceat: quaſi Imperator ad hoc ſit conſtitutus, ut dementiæ Pontificiæ patronus atque defenſor magis quam innocentiæ exiſtat.

Verum enimvero Fridericus, qui cum alias Pontificis actiones, tum vero Apuliam juris Imperii, ſe inſcio atque invito, Guilhelmo conceſſam ægre ferret: ſimulque ad animum revocaret, quod Papam prius jus inveſtituræ prælatorum Cæſaribus eripuiſſet: & per legatos ſuos, nationes Imperii non tantum expilaſſet, ſed & defectionis ſemina per iſtas bellorum faces in toto Imperio ſparſiſſet: his violentis jurium Imperii invaſionibus mature occurrendum eſſe ſtatuit. Itaque ab omnibus Germaniæ Epiſcopis fidelitatis juramentum exi- *Nauclerus generat.* 39.

 git:

git: legatos Pontificis in Germaniam à ſe non vocatos excludi regno Teutonico mandat, & ad Romanam ſedem ſuos appellare vel proficiſci vetat, nomenque ſuum in literis ſuis pontificio nomini præponit. Ea vero prohibitione facta, accidit ut Lundenſis quidam Epiſcopus à ſede Romana rediens, neſcio an tanquam edicti Imperialis contemptor, vel alia de cauſa, interceptus à quibusdam in cuſtodiam conjiceretur. Tunc ergo Pontifex nactus ſuæ ſententiæ declarandæ occaſionem, ratione capti Epiſcopi, ad Imperatorem ſuperbam legationem mittit: ſimulatque ſe expoſtulare cum illo, quod non liberet Epiſcopum ex captivitate: ſed tamen interea, ea & literis & oratione Legati effundit, quæ, qua ratione Imperatorem ſibi ſubjectum eſſe velit, abunde teſtarentur. Nam & literis eum admonuit, ut præ oculis haberet, ut inſigne Imperialis coronæ ab ipſo accepiſſet: neque ipſum pœnitentia moveri, etiamſi Imperator majora ab ipſo beneficia ſuſcepiſſet, & ex lectione literarum turba inter optimates regni exorta, legatorum aliquis dicere non dubitavit: Romanum Imperium à Græcis translatum eſt ad Alemannos, ut rex Teutonicorum non ante, quam ab Apoſtolico coronaretur, Imperator vocaretur: ante conſecrationem Rex, poſt Imperator. Unde igitur habet Imperium, niſi à Papa? Ex electione ſuorum principum habet nomen Regis, ex conſecratione Papæ habet nomen Imperatoris & Auguſti & Cæſaris. Ergo per Papam imperat. Recolite antiqua. Zacharias promovit Carolum, fecit ei nomen grande, ut eſſet Imperator:

Radevicus lib. 3. cap. 9. & 10.

Superba & Thraſonica pontificii legati oratio, de qua vide Avent. lib. 6. fol. 636.

tor: & ut poſthac perpetuo Rex Teutonicus eſſet Imperator, & advocatus ſedis Apoſtolicæ: ut Romano Epiſcopo Apulia, per eum pacata, eſſet ſubjecta: quæ Papæ cum urbe Romana eſt, non Imperatoris. Roma Papæ ſedes eſt: Imperatoris eſt Aquis in Arduenna, quæ eſt ſylva Galliæ. Imperator, quod habet, totum habet à Papa: ſicut Zacharias transtulit Imperium à Græcis ad Theutonicos, ita Papa poteſt id ab Alemannis transferre ad Græcos. Ecce in poteſtate ejus eſt, ut det illud cui vult. Propterea conſtitutus à Deo ſuper gentes & regna, ut deſtruat, evellat, & ædificet, & plantet. Deinde Germanos imbelles vocat, imbecillitatem illis objiciens, qui Rogerium Italia pellere, Danos Friſos perdomitare nunquam voluerint.

His vero auditis, & Imperator juſtam indignationem concepit: & omnes proceres tanta ira exarſere, ut Otto de Wittelſpach ſtricto enſe, quem ante Imperatorem progerebat, in legatum irruerit, confoſſurus, niſi Imperator intercesiſſet: eas deinceps rationes ſuſcipiens, quibus hac vana jactantia Papa ſeſe graviter offenſum comprobaret. Nam & legatos ad ſua habitacula deductos, primo mane viam ingredi juſſit, cum mandato, ne hac vel illac in terris Epiſcoporum ſeu Abbatum vagarentur: ſed recta via, nec ad dextram nec ad ſiniſtram declinantes, ad urbem reverterentur: hanc nimirum ob cauſam, ne pro conſuetudine Romaniſtarum, per ſingulas Eccleſias Theutonici regni, conceptum iniquitatis ſuæ virus ſpargere, altaria denudare, vaſa domus Dei aſportare,

Radevicus, ubi ſupra.

Romaniſtæ fures, prædones, latrones atq; ſacrilegi.

tare, cruces excoriare niterentur. Et ne quis aliquid præter meritum ipſis accidiſſe putaret, vel inde aliquis motus oriretur, Cæſar cum proceribus literas per totum Imperium mittit, quibus rei geſtæ ſeriem exponens, de Imperii honore violato, graviſſime conqueritur, cum delaratione: Per electionem Principum, à ſolo Deo regnum & Imperium eſſe. Quare, quicunque Imperatorem à Papa Imperialem coronam pro beneficio ſuſcepiſſe diceret, hunc ut divinæ inſtitutioni & doctrinæ Petri contrarium, & mendacii reum, damnandum eſſe.

Epiſtola extat apud Radevicum loco ſupra allegato.

Legatis ergo Pontificiis domum revertentibus, & oleum quaſi camino, exaggeratione injuriarum, periculorumque quæ ſuſtinuiſſent, addentibus: Hadrianus, qui ante fureret, tunc veſanior factus, cum putaret tale facinus à Friderico perpetratum, quale à ſuperioribus nullum: (quis etenim Romaniſtis unquam regno Theutonico interdixiſſe legitur?) acerrimas ad Imperatorem literas mittit, in quibus graviſſime, & vere pontificaliter, cum ipſo de rebus omnibus expoſtulat: quas, quia dignæ ſunt lectione, & diligenti conſideratione, aſcribere hic libuit.

Nauclerus fol. 761. gener. 39.

Adrianus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Friderico Romano Imperatori ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Lex divina, ſicut parentes honorantibus longævitatem promittit: ita maledicentibus patri & matri, ſententiam mortis intendit. Veritatis autem voce docemur: quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur. Quapropter, dilecte in Domino fili, ſuper prudentia tua non mediocriter admiramur,

mur, quod B. Petro, & S. Rom. Eccleſiæ, non quantam deberes, exhibere reverentiam videris. In literis enim ad nos miſſis, nomen tuum noſtro præponis: in quo inſolentiæ, ne dicam arrogantiæ notam incurris. Quid dicam de fidelitate, B. Petro & nobis à te promiſſa & jurata, quomodo eam obſerves: cum ab his qui Dei ſunt, filii excelſi omnes, (Epiſcopis videlicet) homagium requiris, fidelitatem exigis, & manus eorum ſacratas manibus tuis inneċtis: & manifeſte factus nobis contrarius, Cardinalibus à latere noſtro directis non ſolum Eccleſias, ſed & civitates regni tui claudis? Reſipiſce ergo, reſipiſce, tibi conſulimus; quia dum à nobis conſecrationem & coronam merueris, dum inconceſſa captas, ne conceſſa perdas, nobilitati tuæ timemus.

Quod vero indicium humilitatis & lenitatis Apoſtolicæ in hiſce literis apparet? An non Luciferiana hæc arrogantia eſt, quod nomen Cæſareum Papali præponi indignatur: quaſi nec alii Imperatores Papæ ſcribentes id feciſſe legerentur? *97.* diſt. c. victor. & *63.* diſt. c. tibi.

Imperator igitur literis, faſtus pontificii pleniſſimis acceptis, quo pro inſigni Chriſtianæ ſapientiæ cognitione eum retunderet, ac clavum clavo (ut ajunt) truderet, in hunc modum reſpondet.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Adriano Eccleſiæ Catholicæ Pontifici, omnibus illis adhærere quæ cœpit Jeſus facere & docere. Lex juſtitiæ, unicuique quod ſuum eſt reſtituit. Non enim parentibus noſtris derogamus, quibus in hoc regno *Nauclerus fol. 761.*

gno debitum exhibemus honorem, à quibus videlicet primogenitoribus noſtris, & regni dignitatem ſuſcepimus, & coronam. Nunquid tempore Conſtantini Sylveſter regalis aliquid habuiſſe dignoſcitur? Sed ejus pietatis conceſſione, libertas conceſſa eſt Eccleſiæ, pax reſtituta eſt: & quicquid papatus veſter Regalis habere dinoſcitur, largitione Principum obtinet. Unde cum Romano Pontifici ſcribimus, jure antiquo & nomen præponimus, & ad juſtitiæ normam eidem nobis ſcribenti concedimus. Revolvite annales: &, ſi lectum neglexiſtis, quod aſſerimus, illic invenitur. Ab his autem qui Dei ſunt per adoptionem, & regalia noſtra tenent, cur homagium & regalia ſacramenta non exigamus: cum ille noſter & veſter inſtitutor, ab homine rege nihil accipiens, ſed omnia bona omnibus conferens, qui pro ſe & Petro cenſum Cæſari perſolvit, & exemplum vobis dedit ut ita faciatis, docet vos, dicens: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Aut igitur regalia nobis dimittant: aut ſi hæc utilia judicaverint, quæ Dei, Deo: quæ Cæſaris, Cæſari perſolvant. Cardinalibus utique veſtris clauſæ ſunt Eccleſiæ, & non patent civitates: quia non videmus eos prædicatores, ſed prædatores: non pacis corroboratores, ſed pecuniæ raptores: non orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles corroſores. Cum autem viderimus eos, quales requirit Eccleſia, portantes pacem, illuminantes patriam, aſſiſtentes cauſæ humilium in æquitate, neceſſariis ſtipendiis & commeatu eos ſuſtentare non differemus. Humilitatis autem, quæ eſt cuſtos

cuſtos virtutum, & manſuetudinis veſtræ non minimam notam inuritis, cum hujusmodi quæſtiones, religioni non multum conferentes, ſecularibus perſonis proponitis; Provideat itaque paternitas veſtra, ne dum talia movet, quæ indigna ducimus: offendiculum ponat illis, qui velut ad imbrem ſerotinum ori veſtro aures ſuas arrigere feſtinant. Non enim non poſſumus reſpondere auditis, cum ſuperbiæ deteſtabilem beſtiam usque ad ſedem Petri reptaſſe videmus. Paci Eccleſiæ bene ſemper providentes, bene ſemper valete.

Quis vero haſce Imperatoris literas improbet? quis vel pietatem, vel æquitatem, vel juſtitiam in ipſis deſideret? Quis eum alia, quam quæ verum fortemque Imperatorem decent, feciſſe dicet? Faſtum Pontificis retudit, jura Imperii tutatus eſt, humilitatem atque modeſtiam Chriſtianam à Romaniſtis requiſivit, quam apud ipſos non inveniri totus mundus conqueritur.

Atqui Pontifex legatis auditis, non contentus cum Imperatore per literas expoſtulaſſe: etiam ad univerſos Archiepiſcopos & Epiſcopos Germaniæ ſcribit, & rei geſtæ ſeriem commemorat, indignitatem facti exaggerat: eosque admonet, ut cum omnium Eccleſiarum communis cauſa in hoc negotio verſetur, (ſic quippe exſtimant, Romaniſtis intereuntibus, totam Chriſtianitatem peſſum ituram) ſe tanquam validum murum, pro domo Domini opponant: & non tantum Imperatorem in viam rectam reduci, ſed & à Rainaldo cancellario Cæſareo, & Otthone co- *Epiſtola extat apud Radevicum lib. 3. cap. 15.*

mite

mite de Wittelſpach, qui magnas blaſpemias in legatos Apoſtolicos & Sacroſanctam Romanam Eccleſiam evomuiſſent, talem & tam evidentem ſatisfactionem exhiberi ſtudeant, ut ſicut multorum aures amaritudo ſermonis eorum offendiſſet, ita etiam ſatisfactio multos ad viam rectam revocet. Verum quia (ut quidam in commemoratione hujus rei ſcribit) tunc temporis Epiſcopi noſtri haud tam addicti ſedi Romanæ erant, atque nunc ſunt plerique: communicato in unum conſilio, Pontifici ita reſcripſere, ut non modo admodum hoc facto affici conſpicerentur: ſed & Arnoldus Moguntinus & Eberhardus Saltzburgenſis, peculiaribus literis Romanos ſacerdotes, Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos atque presbyteros admonerent, pertinaciam, faſtum, ſuperbiam eorum corrigerent, avaritiam, perfidiam, aliaque facinora, quibus pauperes compilarent, Imperiumque conturbarent, referrent. Ultimo obteſtantes, ut Hadrianum ad pacem ſervandam cohortarentur: Imperatorem, id quod bonum æquumque foret, facturum eſſe.

Jacobus Spigelius in annotationibus ad Ligurinum Guntheri libro 6. fol. 143. Epiſtola extat lib. 3. cap. 16. apud Radevic. Aventinus libro 6. Annal. Bojor. fol. 636.

Etſi autem hæc Hadrianum peſſime haberent, tamen cum audiret legatos Imperatoris, Rainaldum cancellarium & Othonem de Wittelſpach Italiam ingreſſos, conventus cum principibus & Epiſcopis Italiæ agere, atque Imperii negotia potenter adminiſtrare: ipſum quoque Imperatorem, qui copiis collectis in procinctu eſſet, mox in Italiam advolaturum: de conſilio principum quorundam, nuncios ad leniendum animum Imperatoris, Auguſtam cum ſupplicibus literis mittit: & autori-

Nauclerus generat. 39.

bus

bus Heinrico Saxonum & Bavarorum duce, & Othone Friſingenſe, ei reconciliatur.

Aventin. loco præalleg. Radevicus libro 3. cap. 17.

Non longo vero tempore poſt, cum Italiæ civitates, Crema à Friderico duriſſime obſeſſa, in eum pro vindicanda libertate conſpirarent, Papa reconciliationis immemor, ſe perfide ipſis conjungit, ac rebellium conſpirationem his legibus firmat: Ne quis ſine aliorum conſenſu, in pacem cum Friderico redeat: nec quis mortuo Pontifice, niſi ex numero conſpiratorum, creetur. Utque ſpecioſiorem rebellandi occaſionem haberent, ab ipſis immenſa pecunia corruptus Imperatorem execratur. Aſt optimus maximus Deus, qui per os dilecti ſervi ſui Davidis, contra excommunicationem Papæ, pecuniæ corrupti, clamaſſe videtur. Maledicent illi, & tu benedices: qui inſurgunt in me, confundantur, ſervus autem tuus lætabitur: hic inquam Deus, hanc execrationem in maledictum Pontificis caput convertit, hominemque ad omnem poſteritatem confudit. Nam cum Anagniæ, excommunicatione in Fridericum denunciata, forte cum ſuis refrigerandi gratia exſpatiatus, aquam ex fonte hauſiſſet, muſca in os ejus involans gutturi ita adhæſit, ut, cum nulla medicorum arte eximi poſſet, miſere ſuffocatus interiret.

Nauclerus gener. 139. ex Joanne Cremonenſi.

Quis non miretur, Gigantem tanta conſpiratorum factione ſtipatum, ut Imperatoris vires non reformidaret, à muſca interfici potuiſſe? Quis fortuitum magis quam divinum exiſtimet, gutture, quod in optimum ac innocentiſſimum Imperatorem execrationem eructarat, animam exhalari debuiſſe? Non tamen

Pontificii, tam mirabili Hadriani interitu, ab inſtituta conſpiratione abduci potuerunt. Sed cum Imperatori valido exercitu Italiam tenenti, ac indies Mediolanenſes variis cladibus proterenti, aperta vi ſeſe objicere non auderent: ad peſſimas artes converſi, inſidias vitæ ejus ſtruunt. Nam Simoniaca arte hominem robuſtiſſimi corporis, magno pretio conducunt, qui ſub ſimulatione ſtultitiæ vel maniæ Laudam, ubi tunc Fridericus hærebat, peteret, ac per occaſionem ei violentas ſceleratasque manus injiceret. Ille ergo multis magnisque promiſſionibus animatus, ad ſcelus accingitur, Laudam pergit, caſtra ingreditur, & jocis ac ludicris acceſſum ad tentoria Imperatoris ſibi patefacit. Erant vero ea ſuper ripam Abduæ locata, ita ut labentem, aut convexum obrueret præcipitium, aut vorago ſubterlabentis fluminis eſſet exceptura. Morio igitur obſervata occaſione, qua conceptum ſcelus perficeret, Imperatorem pro more antelucano tempore ſolum ſacra aditurum, aggreditur: eumque trahendo & portando, ad præcipitium deducere nititur. At Imperatore viriliter renitente, ita ut uterque funibus, quibus tabernacula ſuſpendebantur implicati, ad terram caderent: cubicularii voce Imperatoris clamantis exciti, accurrêre, ſceleſtumque comprehenſum eodem loco præcipitem in fluvium demerſere.

Radevicus lib. 4. cap. 40. & 41. Guntherus in Ligurino lib. 9. circa fin.

Hoc tanto ſcelere fruſtrati, aliud moliuntur. Octo ex ſuis, magno pretio conductos, ſubornant, qui Laudam incenderent. Cum autem unus eorum nocte intempeſta, facinus impleturus, ædibus ignem injeciſſet, à vigilibus

bus comprehenſus, una cum alio monachum mentito, criminiſque ejusdem participe, patibulo affixus, attentati ſceleris dignas pœnas ſubiit. Sic ergo & hac vice ſe à ſuſcepti ſceleris executione excluſos videntes, inſignem quendam intoxicatorem, mortis contemptorem, cum aliquot ſociis emittunt, ferentem in caſtra Imperatoris medicinas, annulos, frena, calcaria veneno illita, adeoque efficaciter intoxicata, ut ſi Imperator ea attingeret, mox lethaliter inficeretur. Sicam quoque latentem juxta femur geſtantem, ut ſi veneni facinus impediretur, ea ad peragendum ſcelus uteretur. Verum Imperator, qui ante de hoc ádmonitus fuiſſet, venientem obſervari ac comprehendi, dein quæſtionibus ſubjectum de fabricatore ſceleris interrogari, poſtremo verbera & quæſtiones irridentem in patibulum crucis adigi jubet.

Porro Adriano Pontifice muſca deglutita, ut dictum eſt, ſuffocato, inter Cardinales de electione novi Pontificis diſſenſio oritur. Duo ſiquidem & viginti Imperatori adverſi, Rolandum Senenſem, cancellarium antea vocatum, unum ex iſtis Cardinalibus, quos ſuperius ab Hadriano ad Fridericum miſſos retulimus, hic vero Germania exire juſſerat: novem autem alii qui à parte Imperatoris ſteterant, Octavianum civem Romanum Presbyterum Cardinalem S. Clementis, ſuffragantibus præfecto Urbis populoque Romano, Pontificem creant, atque Victorem vocant. Cum autem hæ electiones magnum parituræ viderentur diſſidium, inter utriusque partis electores convênit, neutrum

Abbas Urſpergenſis. Platina in vita Alex. Nauclerus generat. 39. Radevicus lib. 4. cap. 54.

ex electis inſtitui debere, priusquam diſcordia ſopita inter omnes conveniret. At Rolandini numero ſuperiores, fide ſoluta, Rolandi electionem promulgant, eumque Alexandrum tertium dicunt. Unde ſchiſma maximum eſt ortum; nam Victore Romæ manente, Alexander ad Siciliæ regem Wilhelmum properat, ibique XII. die poſt eſectionem Papa confirmatur. Deinde ne ſeditio illa cum pernicie Eccleſiæ Romanæ protraheretur, Fridericum Imperatorem tum Cremam obſidentem, per legatos rogat, ut interpoſita authoritate Imperatoria ſeditionem tollat. Fridericus ancipiti malo exorientis novi ſchiſmatis permotus, cum utroque electo, in ordinem Epiſcopatus conſecrato, litem legitime, citra authoritatem concilii, finiri non poſſe cerneret: eamque exemplo Conſtantini, Theodoſii, Juſtiniani, aliorumque Imperatorum ad ſe pertinere ſciret, conventus diem Papiæ nominat, & ut uterque Papa iſtuc eat, monet, eo ſe quoque cognoſcendæ diſceptationis cauſa venturum promittens. Qua re cognita, Alexander Anagniam ſe confert: Fridericus vero indignatus, quod dicto ſuo non obtemperaſſet, Danielem Pragenſem, & Hermannum Verdenſem Epiſcopos cum literis mittit, qui eum non Pontificem, ſed Cardinalem appellatum, ad concilium citarent. At illo Cæſareos legatos contemptim rejiciente, atque ſuperbe dicente, Pontificem Romanum à nemine debere judicari: ipſi re infecta abeuntes, Segniam ad Octavianum pergunt, eumque ut Pontificem venerantes, Papiam deducunt. Ibi concilio congregato, & cauſa

Radevicus lib. 4. cap. 58.

c. patet. & c. nemo 9. q. 3. item 17. q. 4. c. Si quis ſuadente in extremo. item diſt. 40. c. Si Papa.

cauſa ex teſtibus per omnes circumſtantias cognita: Victor Papa declaratur, & ab omnibus Germaniæ Epiſcopis juſſu Friderici agnoſcitur. Qua injuria Alexander commotus, Fridericum atque Victorem anathematis vinculo colligat: literasque mittit ad Chriſtianæ Reipub. principes & populos, quibus intelligant, id à ſe merito & jure fieri. Mox cum in urbem reverſus, ibi multos adverſarios inveniſſet, in ſe cornua palam erigentes, Tarracinam proficiſcitur: ibique conſcenſo navigio, jam ante ad eam rem, ex juſſu Guilhelmi Siciliæ regis parato, in Gallias contendit. Conventuque in Claro monte, ex permiſſione regis Galliæ Philippi habito, anathema in Imperatorem & Antipapam factum, ſtatim enunciat atque promulgat. Imperator, licet mala ex hac diſſenſione oritura proſpiceret, Mediolani tamen obſeſſionem continuat: donec id fame atque inedia perculſum, ſine ulla conditione ſe ejus poteſtati permittit. Eo autem capto, legatos ad Francum mittit: ac petit, ut concordiæ conſtituendæ cauſa, conventu Divione indicto, ipſe eo ſuum Papam abducat, & ſe quoque una cum Victore ibi compariturum pollicetur. Quid legatis reſponſum fuerit, haud ſatis conſtat. Hoc tamen memoriæ proditum, à comite Bleſenſi fidem Imperatori datam, regem Franciæ ad conventum venturum. Imperator itaque die conſtituta venit, & tentoria cum Victore prope Divionem fixit. Venêre etiam eo Heinricus II. Angliæ, Wilhelmus Scotiæ reges. Verum non tantum Alexander, ut veniret, adduci non potuit, eo quod

Nauclerus gener. 39.

Nauclerus gener. 39.

quod conventum ab Imperatore, non à ſe indictum prætenderet: ſed & Galliæ regi Philippo perſuaſit, ut is locum ante Friderici adventum accederet, & manu ex flumine præterlabente lota, voceque præconia Imperatore vocato, quaſi hoc modo fidei datæ ſatisfeciſſet, recederet. Undè Imperator aliique reges & principes hæc ægre ferentes, Victore ad ſedem Pontificiam recipiendam ire juſſo, ad ſua redière.

Nauclerus ubi ſupra. Cum Victor Lucam Hetruriæ urbem perveniſſet, morbo correptus, communis naturæ debitum, depoſito carnis onere, ſolvit. In cujus locum ſuffectus eſt Guido Cremonenſis Epiſcopus, qui appellatus eſt Paſchalis tertius: eique obedientiam præſtiterunt, Goslariæ Imperator, & poſt eum Heinricus dux Bavariæ & Saxoniæ, Cunradus Palatinus Rheni, Landgravius Thuringiæ, Magdeburgenſis, Bremenſis, Trevirenſis, Colonienſis, Babenbergenſis, Archiepiſcopi, & omnes fere Teuthonici. Alexander, qui adhuc in Galliis eſſet, ut Romam retineret in fide, per vicarium ſuum Joannem Cardinalem Romanis concedit, ut Conſules libere creent, modo Alexandri ſint ſtudioſi. Ipſe interea ex Gallia in Siciliam delatus, mox Romam redit: & Cremonenſi Guidone ſpreto, à Romanis benigne recipitur. Tum vero civitates Italiæ adventu Alexandri in ſpem libertatis denuo erectæ, contra jusjurandum Imperatori datum, Mediolanum, paulo ante ab Imperatore dirutum atque ſubverſum, reſtaurant: &, ſuadente Alexandro, rebellionem parant manifeſtam: Judices ab Imperatore conſtitutos, aliosque faventes Imperatori inva-

invadunt, eoſque partim pellunt, partim trucidant. Deinde Alexandri conſilio uſi, ejusque auxilio freti, novam urbem in gratiam Pontificis extruunt, in contemptum Imperatoris Alexandriam nuncupatam, inque eam ex omnibus civitatibus quindecim millia hominum ad incolendum mittunt, diviſis agris viritim, partitisque in urbe locis ad ædificandum. Imperator cognitis his rebellionibus, & conſpirationibus in ſe factis, collecto novo exercitu, denuo in Italiam movet: & quibusdam rebellibus ad deditionem compulſis, Alexandriam novam obſeſſam oppugnat. Cæterum hæc obſidio parum ei feliciter ſucceſſit, cum quod Alexandrini à ſociis civitatibus adjuti fortiter ſeſe defenderent: tum quod Heinricus Leo Bavariæ & Saxoniæ dux, præter omnem Imperatoris ſpem, jure conſanguinitatis ſpreto, abjectaque memoria beneficiorum acceptorum, per Pontificem pecunia corruptus, cum ſuis copiis eum perfide deſereret: ita ut Fridericus Italicis conſpirationibus impar, exercitum dimittere, ac per montem Jovis in Burgundiam, maxima cum difficultate, ſub habitu ſervi equos curantis, redire cogeretur. Non vero hanc perfidiam Leo inultam tulit. Nam Fridericus in Germaniam reverſus, viribus recollectis, diem Duci dicit, eum læſæ Majeſtatis accuſat: ac ſeſe vi tueri molientem, dominiis & ducatibus privat. Fuêre tunc principes Heinrico faventes, qui eum ab Imperatore condemnari poſſe negarent, niſi intra terras Ducis ſententia lata. At Fridericus, qui ante ſevera exempla in rebelles ac violatores pacis

Nauclerus gener. 40. Urſpergenſ.

Nauclerus gener. 40. Abbas Urſpergenſis.

pacis ſtatuiſſet, neglectis quæ à Principibus prætenderentur, ducatum Noricum Othoni de Wittelſpach, Saxoniæ Bernardo Anhaldino, & alia bona aliis confert. Qui auxiliis amicorum ſubnixi, Heinricum omnibus fere terris, quas omnium ampliſſimas habuit, intra unum menſem exuerunt: ita ut ſolo ducatu Brunſvicenſi retento, inſigne exemplum aliis reliquerit, non temere Cæſaris, tanquam legitimi magiſtratus authoritatem aſpernendam, ſed eam cum fide, obedientia ac reverentia colendam eſſe. Et quidem ut hujus exempli recordatione, animos ſeſe contra legitimum magiſtratum contumacius elatiusque erigentes refrenari, quaſique in gyrum obedientiæ reduci par eſt: ſic & aliorum, quæ in alios rebelles Fridericus ſtatuit, meminiſſe utile erit. Hic namque idem Fridericus, Hermannum comitem Palatinum Rheni, ejusque ſocios, quod ſe in Italia abſente, armis in Arnoldum Archiepiſcopum Moguntinum motis pacem publicam violaſſet, in natalitiis Domini Vormaciæ canem pro ſatisfactione publice circumgeſtare compulit. Et Gualfagum Angleriæ comitem, ac Mediolanenſium principem, quod poſt latam in Imperatorem execrationis ſententiam, Alexandrum Papam recepiſſet, ejusque inſtinctu multa in urbe Mediolanenſi contra Imperium egiſſet, ea capta, triduo ſub menſa inſtar canis tenuit, & flagellis cæſum, compedibusque vinctum in Germaniam relegavit. Hæc juſta rebellium pœna erat: quam ſi hodierno die ſimiles transgreſſores ſuſciperent, quis dubitat, majorem tranquillitatem, legum-

Trithemius in Chronico Hirſaug. ſub Abbate Volmaro, fol. 175. Nauclerus gener. 39. fol. 766.

legumque obſervantiam in Imperio futuram eſſe? Sed ad propoſitum revertamur.

Fridericus Heinrico Leone mulctato, ac novis in Germania copiis contractis, rurſus in Italiam tendit. Varias quidem atque diverſas narrationes extare apud ſcriptores ſcio, quid eo tempore in Italia geſſerit. Alii ſiquidem eum, cum tanto diſcrimine contra Mediolanenſes pugnaſſet, ut equo ejus ſuffoſſo ferme interficeretur, minis Epiſcoporum eum ſectantium compulſum ſcribunt, ut de pace cum Eccleſia componenda cogitaret. Alii eum ſuaſu Brixienſis Epiſcopi in terram ſanctam trajeciſſe, ibique proditione Alexandri Papæ poſt multas præclaras victorias Soldano proditum, ejus tamen liberalitate tandem ad ſua remiſſum eſſe.

Platina in vita Alex. Nauclerus generat. 4. Blondus & alii.

Joannes Cremonenſis. Barnus. Autor vitæ Friderici Germanice deſcriptæ.

Etſi autem hæc à quibusdam elevari ſciam, tamen cum teſtimonio autorum nitantur, quorum diligentia, in vita præſtantiſſimi Imperatoris deſcribenda, merito probatur: ad hæc, talia ſint, quæ Pontificum ſceleratis machinationibus in Imperatores veriſimiliter reſpondeant, nec ab inſtituto noſtro ſint aliena, ea referre libet, cuique de his ſuum judicium relinquens.

Cum ergo (ut traditur) Fridericus Brixiam veniſſet, Epiſcopus ejus loci Hartmannus, quo Imperator ſecretario utebatur, inſtinctu Pontificis eum à bello dehortatur: ſuadetque, ut potius in Turcas, Chriſtianæ fidei hoſtes, quam ſanctiſſimum patrem & homines Chriſtianos arma convertat: Terram ſanctam, quam Cunradus ejus patruus olim magnis ſumptibus & armis ſubegiſſet, rurſus à Soldano

Ægyptiaco occupari, precari ſe nomine ſalutis publicæ, ut de hiſce terris recuperandis cogitet. Id ſi fecerit, ſe effecturum, ut rex Galliæ ad expugnandum Soldanum Ægypti regem, auxiliares copias mittat. Fridericus hac oratione in ſpecie honeſta motus, exercitum contra Pontificem aliosque conſpirationis ſocios conſcriptum, in Turcas ducit, & per Ungariam iter faciens, Conſtantinopolim contendit, transmiſſisque copiis oppida multa Turcis eripit: pervenitque in minorem Armeniam, ac Hieroſolymam movens, ea ejectis paganis potitur. Verum interea dum in Oriente eſſet, tantoque rerum ſucceſſu uteretur, Alexander Pontifex iniquiſſimus proditor, cum ſuis conſpirationibus ſibi ab eo metuens, ſi victor in Italiam redeat, de eo perdendo cogitat. Viva itaque imagine Friderici, opera pictoris cujusdam ad eam exprimendam deſtinati, confecta, eam ad Soldanum mittit, cum hac commonefactione: ut ſi quietus vivere velit, de Imperatore, cujus ſimulachrum acciperet, perdendo cogitet. Soldanus acceptis literis cum expreſſa Imperatoris imagine, ſtudet ſibi & Romano Pontifici gratum facere, & ſe de Imperatore adverſario ſuo ulciſci. Occaſio in caſtris atque conflictu nunquam ſe offert, ad explendam proditionem Pontificiam. Cum vero potitus Hieruſalem exercitum reduceret, Cæſar ſecurus, partitur copias in ſuos ordines, ut eo commodius emenſum iter remetiri poſſent. In Armenia autem cum Imperator ex ſolis calore & itineris difficultate æſtuaret, & nihil periculi in ea ſolitudine nemorum eſſe putaret,

Hac hiſtoria extat in vita Friderici Germanice deſcripta.

taret,

taret, cum paucis equitibus & ſuo ſacellano ab exercitu diſcedit: & non procul inde equo deſcendit, veſtes parat exuere, ſacellanum & ſe (equitibus diſcedere juſſis) in amne loturus, ad reſtinguendum corporis æſtum. Ibi Imperator (equitibus ignorantibus) cum ſacellano ab inſidiatoribus capitur, & per nemora abducitur ad Soldanum. Equites fruſtra expectant Imperatorem, quærunt diligenter in alterum usque diem, rumor venit ad exercitum, Imperatorem eſſe demerſum. Ingens omnibus triſtitia oboritur, ac fere ad integrum menſem in eo flumine quærunt. Cum autem non reperirent, electis novis ducibus, domum redeunt. Imperator ad Soldanum perductus, ſimulat ſe Imperatoris eſſe oſtiarium. At Soldanus faciem, ex imagine à Pontifice accepta, agnoſcens, jubet ſimulachrum proferri, & literas à Pontifice miſſas legi. Imperator ad iſtam proditionem ſtupefactus, videns negationi porro non eſſe locum, fatetur verum, & ſupplex miſericordiam petit. Soldanus poſtquam de rebus multis cum Imperatore collocutus eſſet, includit eum ergaſtulo, una cum ſacellano, alitque pro ſua dignitate humaniter. Poſt tres menſes iterum colloquuntur Imperator & Soldanus. Cum vero Soldanus ex Friderici colloquio intelligeret, virum eſſe optimum, in quo nullam virtutem deſideraret, bono principe dignam, & cujus prudentiam, candorem, fidem & integritatem admiraretur, cogitat ſe Imperatore dimiſſo, plurimum ſibi gloriæ & favoris pariturum. Imperatorem igitur accerſit, conditiones libertatis proponit:

atque

atque ut daret obſides, & numeraret tercentum mille ſiclos, poſtulat. Imperator neutrum ſe poſſe facere reſpondet: & quod ibi nullos haberet, quos obſides daret: & quod fiſco longo bello exhauſto, tanti argenti vim non poſſet ſolvere. Soldanus videns æquum petere Imperatorem, dimiſit eum ea lege, ut ſecum fœdera perpetuæ pacis ſanciret, & numeraret millies centum ducatos, relinqueretque illic ſacellanum vadem usque ad ſolutionem. Parantur pacti diplomata. Imperator accingit ſe itineri, jubet ſacellanum bono animo eſſe: pollicetur ſe non quieturum, donec miſſa pecunia eum liberatum ac reducem viderit in Germania. Soldanus Imperatorem muneribus ornat, viatico proſpicit, XXXIV. equis & certis militibus Brixiam usque deducit, ibi ſubſiſtit.

Principes certiores facti de reditu Imperatoris, frequentes eum adeunt. Cæſar Soldano ſuos variis donis onuſtos remittit, adjunctis illis qui deducerent eos usque ad Imperii fines: deinde comitia indicit Norimbergæ, & vocat omnes Imperii principes, Alexandri proditionem aperit, proditoriam epiſtolam à Pontifice Soldano miſſam legit, & quibus modis liber dimiſſus eſſet exponit. Principes pollicentur illi auxilium, ut fidem ſuam apud Soldanum liberet: indignantesque ſuppetias ſpondent, adverſus Alexandrum Imperii proditorem. Conſcribitur exercitus per Italiam, (nemine repugnante) Romam movet: miſſisque in urbem legatis ſuis, à populo Romano poſtulat (diſſimulata interim ſua privata injuria) ut cauſa utriusque Pontificis audita, reſtitueretur Eccle-

Hæc ſubſequentia Nauclerus generat. 40. narrat, ut & alii

ſiæ

ſiæ concordia, decerneretur que Pontificia ſedes uni ex electis Pontificibus. Id vero ſi facerent, promittit, ſe eis non ſolum pacem conceſſurum eſſe: ſed etiam omnia redditurum, quæ jure debebantur.

Pontificii, præcedentibus tamen omiſſis.

Alexander cernens Imperatorem iſtis conſiliis ſui compotem fore, nocte aufugit Cajetam, deinde Beneventum: poſtremo in coqui ſui habitu Venetias venit: ubi in monaſterio deliteſcens, & poſt aliquot menſes agnitus, habito ſenatu, juſſu ducis Sebaſtiani maximo honore exceptus, Pontificiali pompa in templum divi Marci deducitur. Imperator Fridericus audiens Pontificem Venetiis eſſe, non parum ſuccenſet Venetis, quod communem hoſtem receperant. Poſtulat igitur ab illis, ſibi reſtitui hominem pernitioſum reipublicæ. Quod cum Veneti denegarent, Fridericus mittit Otthonem filium cum armata claſſe, ad repoſcendum Alexandrum: prohibens tamen illi, ne quid armis attentet, priusquam ipſe veniat. Ottho juvenis princeps, fervens & cupidus gloriæ & famæ, congreditur cum Venetis, capitur, & deducitur in vincula. Quo capto, Alexander ſucceſſu fortunæ felicioris elatus, pacem cum Cæſare inire renuit, niſi is prius Venetias ſupplex veniat, & pacis conditiones præſcriptas acceptet. Fridericus itaque non imbecillitate animi, aut deſperatione victoriæ fractus: ſed partim filii capti philoſtorgia, partim cupiditate pacis in Europa conſtituendæ adductus, Pontifici cedit, ſeque ſtatuto tempore venturum pollicetur. At cum id die indicto faceret, & de pacis conditionibus conven-

Nauclerus generat. allegat.

ventum eſſet, Alexander non prius ſe Fridericum à vinculo excommunicationis abſoluturum ait, quam templum divi Marci acceſſerit. Eo Imperatore humiliter ac religioſe veniente, Papa, aſtante univerſo populo, ei papaliter mandat, ut humi proſtratus, veniam ſupplex petat. Fridericus, qui ut Germanus minime ſuſpicax arbitraretur, Pontificem, qui exemplum omnis modeſtiæ eſſe debet, nulla in ſe vel crudelitate vel contumelia uſurum, Pontificis mandato paret, ſeque ad ejus pedes ſuppliciter devolvit. Is vero hac Imperatoris modeſtia neutiquam contentus, proſtrati Cæſaris collum tyrannice pede conculcat, ignominioſa acclamatione addita: Scriptum eſt, SUPER ASPIDEM ET BASILISCUM AMBULABIS, ET CONCULCABIS LEONEM ET DRACONEM. O monſtroſæ & inauditæ tyrannidis exemplum. Tractarint Barbari quidam, regis vi prælioque captos, reverentia regii nominis ſpreta, durius: pedem cervici Valeriani Imperatoris capti, Sapores Perſicus equum conſcenſurus impoſuerit: Tamerlanus Tartarus, poſt hoc Papæ factum, Bajazetem Turcicum Imperatorem cavea incluſum circumduxerit: tamen hæc Pontificis immanitas tanto iſtorum crudeliſſimorum tyrannorum ſuperbiam ſuperat, quanto inter hos & Pontificem diſſimilitudo major apparet. Illi ſiquidem barbari, ſuæ ſævitiæ adverſus hoſtes, vi prælioque captos, eosque pares, probabiles quodammodo cauſas habuêre: hic vero ſacerdos, omnis manſuetudinis atque clementiæ exemplum conſtitutus, Imperatorem in pacifica-

Nauclerus gener. 40. & alii fere omnes.

ficatione, humillime injuſtæ excommunicationis abſolutionem petentem, dominumque ſuum, Cyclopica immanitate beluinis pedibus ignominioſiſſime obterit. Sed quia contra præceptum hiſtoricorum tento, animos lectorum crudelitatis amplificatione, ad commiſerationem, vel alios affectus moveri volentium, cum id tentando nihil efficiam: quippe cum hæc Cyclopica Pontificis rabies, orationem omnem ſuperet?

Fridericus itaque rei indignitate ad animum generoſum revocato, ut ſe ea moveri oſtenderet, palam Pontificem interpellat: Non tibi, ſed Petro: ſignificans, ſe factum eſſe ſupplicem, non huic tyranno, ſed Apoſtolicæ authoritati. At Papa tyrannice reverendum Cæſaris collum rurſus ungulis urſinis deprimens, reclamat: Et mihi, & Petro. Fridericus autem, etſi de turpiſſima injuria ſibi illata merito doleret, tamen communem ſalutem dignitati propriæ præferens, obmutuit: atque ab excommunicatione abſolutus, concordiam cum Pontifice redintegravit.

HENRICUS VI.

PORro immaniſſimarum beluarum rabies in Fridericum Imperatorem ſic pedibus conculcatum effuſa, aliquandiu reſedit, usque ad Celeſtinum tertium: qui etſi Heinrico Sexto coronato Conſtantiam monacham, Rogerii Quarti Siciliæ regis filiam, è monaſterio Panormitano eductam, uxorem dederit, ea conditione, ut ex utriusque Siciliæ regno, Tancredo

Platina in vita Celeſtini III.

credo Rogerii notho, quem Clemens tertius fruſtra inde ejicere tentârat, pulſo, regnum utrumque peteret, ac poſſideret. Sunt tamen qui ſcribunt, Henricum non tantum in Apulos, Siculosque laicos, ſed & clericos atque Epiſcopos defectionem molientes, ſeverius animadvertentem, nonnullis eorum excoriatis, aliis excæcatis, & in palos actis, nonnullis etiam corona ignita redimitis, ab eodem Celeſtino anathemate notatum, nihil aliud machinante, niſi ut tam Imperio quam Siciliæ regno Henricus VI. excuteretur.

Bergomenſis in Supplemento, & eum ſequens Nauclerus generat. 40.

PHILIPPUS SUEVUS.

Nauclerus generat. 40. Cuſpinian. in vita Heinrici & Philippi.

Ut vero hæc res ſeſe habeat, mox ab Heinrici morte Pontificum veſana perfidia rurſus efferbuit. Cum etenim Heinricus jam moriturus, Innocentium tertium Celeſtini ſucceſſorem filio Friderico, quadrimo adhuc fere in cunis vagienti, ad Imperium tamen principum electione aſſumpto, tutorem dediſſet: eique uxore Conſtantia obnixe commendata, fratri germano Philippo Hetruriæ & Sueviæ duci, Romani Imperii & Siciliæ regni, quousque pupillus adoleſceret, adminiſtrationem commiſiſſet: Pontifex tutelæ fide in perfidiam atque hoſtilem oppugnationem converſa, Suevicam familiam, adeoque totam Germaniam novis motibus atque bellorum incendiis involvit.

Siquidem cum Philippus ad fratrem ægrotantem è Germania properans, in monte Flaſconis, non longe à Viterbio ſito, de morte fratris

tris Imperatoris inaudiiſſet, ac Imperii retinendi cupiditate feſtinabundus Haganoam, ubi Principum conventus erat, recurriſſet, complurium animis ſibi conciliatis: Nocentius iſte, qui Suevos nomine quidem tanquam Eccleſiæ perſecutores, re autem vera ob Siciliæ dominationem, quam ipſe ambiebat, infenſiſſimo odio proſequeretur: initio quo Philippum impediret, frivolis exceptionibus excommunicationis, cui à Celeſtino ſubjectus fuiſſet, inſiſtere: dein, quo eum non parentem irreligioſum oſtenderet, Epiſcopum Sutrinum ad repetendum ab eo obſides, quos olim frater ipſius Heinricus exoculârat, mittere. Ac eo à legato humilitate ſua abſolutionem obtinente, ac vades Nocentio remittente: ille viros cæcatos in invidiam Philippi turbæ oſtendere: Epiſcopum Sutrinum, quod citra mandatum Philippum abſolviſſet, officio privatum, in quandam inſulam maris relegare: mox Bertholdum Zaringiæ ducem, quem nervis belli valere, & Suevis, ideo quod ante à Cunrado Philippi fratre bello petitus eſſet, minime amicum noſſet, ordinibus Imperii obtrudere. De ejus electione prolixe literis ſcriptis, quæ adhuc extant c. Venerabilem de electi. poteſtate.

At Bertholdo, quod ſe virtute bellica Philippo à Suevis, Saxonibus, Bavaris, Boemis, Rhenique principibus electo, multo inferiorem eſſe agnoſceret: cum legitimo rege in gratiam redeunte, ita ut ei etiam obſides, nepotes ſuos, Cunonem & Bertholdum comites de Urach daret, ſimulque fidelitatem juraret: tanta indignatione ſui eluſione Innocentius exarſit, ut

in hæc verba proruperit: Aut Pontifex Philippo diadema regium, aut Philippus Pontifici inſigne regium auferet. Ac ideo Otthonem Heinrici Leonis filium, principem audaciæ atque ſuperbiæ quam prudentiæ majoris, ex Anglia evocatum, contra Philippum, corona Imperiali ei miſſa concitavit: & Philippo, ut ab eo alios abſtraheret, jus faſque omne interdixit. Ex quo peſtiferum quidem Imperio, curiæ vero Romanæ rationibus perquam commodum ac utile ſchiſma exortum eſt. Nam cum Philippus & Ottho ſæviſſimis bellis de Imperio inter ſe decertarent: vix aliqua dignitas Eccleſiaſtica, vel etiam parochialis remanſit, quæ non per artes curiæ Romanæ litigioſa effecta, Romamque deducta, fœdiſſimis harpyis Romanis pro compoſitione litium ceſſerit expilanda: prout Abbas Urſpergenſis in fine narrationis hujus teſtatur, occaſionem, qua curia Romana tantas divitias corraſerit, his verbis oſtendens:

GAUDE, (inquit) mater noſtra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ theſaurorum in terra, ut ad te confluant rivi & aggeres nummorum in magna copia. Lætare ſuper iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompenſationem tantorum malorum datur tibi pretium. Jocundare ſuper adjutrice tua Diſcordia, quia erupit de puteo infernalis abyſſi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes quod ſemper ſitiſti, decanta canticum: quia per malitiam

tiam hominum, non per tuam religionem orbem viciſti. Ad te trahit homines, non ipſorum devotio, aut pura conſcientia: ſed ſcelerum multiplicium perpetratio, & litium deciſio, pretio comparata. *Roma vicit orbem non religione, ſed malitia.*

Etſi autem Bohemiæ rex Odoacer, Landgravius Thuringiæ Hermannus, & Epiſcopus Argentinenſis, una cum Adulpho Colonienſi Archipræſule, Pontificio anathemate moti, ad Otthonem avunculi regis Anglici Richardi auxilio ſuffultum deficerent, non tamen Philippus animum abjicit: ſed Hetruria in Italia, & Suevia in Germania firmo validoque præſidio munita, Alſatiam tanquam Sueviæ viciniorem initio vaſtat: deinde Thuringum, cui Bohemus ſeſe conjunxerat, ad pacem & deditionem compellit, Bohemo fugato. Poſtea per Colonienſem reconciliatum, Brabantiæ & Lotharingiæ duces Confluentiæ fœdere ſibi jungit: iisque peractis, cum exercitu ſociisque Aquisgranum deſcendit, ibique magna cum ſolennitate à Colonienſe coronatur. Ad extremum, prope Coloniam cum Otthone congrediens, eum ſuperatum in fugam vertit: ita ut is ab omnibus deſertus, in Angliam ſecederet. *Odoacer.* *Nauclerus gener. 41. Urſpergenſ. fol. 323.*

Principes, cum felices proſperosque Philippi ſucceſſus viderent, & civili regum diſcordia defatigati eſſent: communi conſilio legationem ſplendidam ad Pontificem mittunt, quæ Philippo in gratiam Pontificis reducto jurium Imperii confirmationem impetret. Ille vero legatione audita, non alia conditione ſe jura Imperii Philippo confirmaturum ait, quam ſi filia

regis Philippi, filio fratris ſui Richardo, recens comiti Thuſciæ, Spoleti & marchiæ Anconitanæ creato, uxor detur, ſperans nepotem ſuum hac ratione terras iſtas hæreditario jure perpetuo obtenturum. Sic ſanctiſſimi patres, jam longo tempore, ſede piſcatoris conſcenſa, magis de ſuis nepotibus, propinquis, atque manſeribus ditandis, quam de Eccleſiæ vel Reipublicæ commodo ſolliciti eſſe conſuevêre: bella quoque interdum ob id ſuſcitantes, ut cum pax conſtituenda eſt, ſpe firmioris amicitiæ, potentiores ſuos Pontificiis conjungant. Legatis quidem hæc conditio à Pontifice propoſita, perquam peregrina & aliena à negotio eſſe videbatur, filiam regis, Papæ viliſſimi nepoti in matrimonium tradi debere. Ne tamen eum offenderent, modeſte civiliterque ſeſe excuſant, nihil de hoc ſibi in mandatis eſſe datum dicentes: ac conſulunt, ut Papa ſuos ſuper hoc ad regem mittat. Ille itaque, qui cupidius quam prudentius nepoti ſuo filiæ regis matrimonium quæreret: Hugolinum Hoſtienſem & Leonem ſanctæ crucis in Hieruſalem Cardinales, Philippi legatis in Germaniam revertentibus adjungit. Etſi autem Auguſtam venientes honorifice ſuſcepti, benigneque ſint habiti: tamen præpoſtera Papæ ambitione cognita, quæ legem domini ſui temerare non erubeſceret: Rex & principes tacite in riſum ſoluti, cum à legatis propoſita nihil ad rem quadrare viderent, Auguſta Spiram, ac inde Northuſium movêre: ibique poſt longas actiones pax hac conditione eſt facta, ut Pontificis nepote ſpreto, repudiatoque, filia Philippi, quam ſtultus Pontifex

tanto ſtudio ambiverat, Otthoni deſponſaretur: & hic, dum Philippus viveret, regno cedens, poſt mortem ejus regnaret.

Non diu vero poſt hanc pacem Philippus ſuperfuit. Cum enim relicta Saxonia iter in Sueviam maturaret, atque Babenbergæ otii gratia ſubſiſteret, ab Otthone de Wittelſpach (nepote ejus, cui Bavariam à Friderico collatam diximus, è fratre) in cubiculo, in quod ſolus vena inciſa ſeceſſerat, proditorie atque nefarie trucidatur: ipſo indignante, quod ſibi perfidiæ infamia notato, Imperator filiam Otthoni deſponſatam dare renuiſſet. Igitur poſt Philippi miſerabilem interitum principibus Francofurti convenientibus, Ottho unanimi eorum conſenſu Rex eligitur.

OTTHO IV.

Ottho rex principum conſenſu ad Imperium evectus, rebus in Germania conſtitutis, ad diadema Imperiale recipiendum cum valido exercitu per vallem Tridentinam contendit: ac per Lombardiam, Romam perveniens, ab Innocentio tertio, univerſo clero populoque Romano ſibi occurrente, magno honore excipitur: quod Pontifex in eo, cujus partes tanto tempore, tantoque ſtudio adverſus Philippum foviſſet, honoribus cumulando, nihil ſibi prætermittendum exiſtimaret. Verum hic amor non diu inter utrumque duravit: ſed quo calore ſubito exarſerat, eo quoque rurſus extinctus, atque in odium converſus eſt. Nam in ipſo coronatio-

Naucleru gener. 41. Urſpergenſis. Cuſpinianus in vita Otthonis IV.

nis die, inter Teutonas atque Romanos cauſa donariorum, quæ ab Imperatoribus dari vulgo conſueverant, tumultu exorto, ita ut circiter mille ac centum viri cecidiſſe ferantur, non paucioribus graviter vulneratis: Ottho rei indignitate commotus, de reſarciendis damnis Romanos convenit. Id vero his facere detrectantibus, ac Pontifice ei ſuſpecto, quaſi qui civibus tumultus occaſionem præbuiſſet: Romą ſuorum auxilio ſtipatus, Mediolanum ſecedit: ibique Imperialibus inſignibus depoſitis, ac militum non parvo exercitu contracto, Thuſciam, marchiam Anconitanam, totamque Romandiolam, patrimonium S. Petri (ut ajunt) invadit. Adhæc Apuliam manu hoſtili intrat, & Capuæ ducatum, aliasque complures civitates ad regnum Siciliæ pertinentes, Friderico ſecundo nihil tale ſuſpicanti ereptas, in ſuam poteſtatem redigit. Innocentius hiſce viſis, Otthonem, ut regna Eccleſiæ feudataria reddat, & ab injuria omni abſtineat, admonet. At eo Pontificis admonitiones non tantum ſpernente, ſed & undique terris latrociniis infeſtatis pejora moliente: Innocentius eum anathemate notat, Imperii titulis privat: ac principes Sacramenti religione, qua Otthoni tenebantur, abſolvit: prohibetque, ne quis ſub anathematis pœna Otthonem aut haberet, aut diceret Imperatorem: Siciliæ rege Friderico, cui in cunis adhuc jacenti principes fidem dediſſe ferebantur, in ejus locum ſuffecto.

Nauclerus gener. 40. Ottho itaque in Germaniam reverſus, etſi Norimbergæ conventu acto, multa de ſcelerata tyrannide pontificum & principum ignavia con-

conqueſtus, quosdam ſibi adjunxerit: & Hermannum Landgravium Thuringiæ, qui ad mandata Pontificis ab ipſius fide diſceſſerat, Thuringia tota vaſtata, graviter afflixerit: tamen tandem à ſuis deſertus, in Saxoniam redire coactus eſt: ubi quarto die, poſtquam nuptias Auguſtales Northuſii cum filia Philippi celebraſſet, morbo correptus interiit.

FRIDERICUS II.

FRidericus Secundus, omni plane laude cum forenſi tum bellica, teſtimonio omnium ſcriptorum, digniſſimus Imperator, dejecto Otthone, Aquisgrani diadema Imperiale Innocentii tertii authoritate accepit: ac hoc, anno ſubſequenti Peruſii mortuo, Romæ ab Honorio tertio Imperiali corona cum nomine Auguſti accepta, multa Italiæ prædia, atque in his comitatum Fundenſem, cum donis plurimis Eccleſiæ contulit, ſeque ad expeditionem Hieroſolymitanam, rebus Imperii prius conſtitutis, obſtrinxit, more majorum: qui falſa religionis perſuaſione decepti, putabant, non aliter ſe poſſe Imperialem dignitatem, niſi muneribus & votis obtinere: ignorantes, Imperium non tam à Pontificis autoritate, quam Principum populique electione pendere: Pontificesque, qui principum arma ſenſiſſent, non modico rerum ſuarum diſpendio pro recuperandis Hieroſolymis, non tam pro Chriſtianæ Reipublicæ commodo, quam pro ſuorum ventrium impinguatione ſollicitos eſſe. Utque principibus ad ulteriores mundi partes (hoc

Cuſpinianus in vita Friderici. Pandulphus Collenutius.

aſtu in ſpecie valde honeſto) transmiſſis, ipſi interim ſuas artes domi libere, citraque ullius contradictionem exercerent.

Utut vero Fridericus initio ſe erga Honorium humilem ac liberalem exhibuerit: tamen nec virtus ipſum contra Pontificum dolos, impietatem, atque nefaria conſilia tueri, nec beneficiorum magnitudo ſceleratos Pontificum animos mutare vel frangere potuêre. Adeo enim duriter tres ſceleratiſſimi Pontifices continuata ſerie ſibi invicem ſuccedentes, fortiſſimum & bellicoſiſſimum Imperatorem per totos fere 30. annos exercuêre, ut immaniſſimi Barbari, Saraceni & Turcæ, quibus cum difficillima bella inſigni laude geſſit, ipſos placabilitate, manſuetudine ac lenitate longiſſime ſuperaſſe vere dici poſſint.

Pandulphus, Collenutius in vita Friderici. Urſpergenſis & alii.

Siquidem Honorius paulo poſt accepta beneficia, nulla injuria irritatus, duos Thuſciæ comites, Richardum & Thomam, perduellionis reos, publicos Imperatoris hoſtes ac inimicos ſeditioſe fovit, ac ab ejus fide abſolvit. Deinde, quod jus ſuum in Siciliæ & Apuliæ regno libere uſurparet, anathemate notatum, Imperii dignitate privat: Longobardos ad rebellionem concitat, ita ut principes Germaniæ ad curiam ſolennem ab Imperatore Cremonæ indictam venientes repellerent: plura attentaturus, ſi longior vita ei contigiſſet. Gregorius itaque nonus, qui ei ſucceſſit, ne prædeceſſore inferior videretur, crudeliore animo in optimum Imperatorem ſtatim inito pontificatu ſævit. Eum namque accuſans, quod Hieroſolymitanæ peregrinationis votum, quod ſub Honorio

Cuſpinianus in vita Friderici ſecundi.

norio voverat, minime ſolveret, termino præfixo ad ſubſidium terræ ſanctæ proficiſcendo: non modo non ulla ratione convictum, vel conventum, ſed neque auditum anathemate renovato condemnat: & nuncios Imperatoris honeſtiſſimos, honeſtas ac veras domini ſui excuſationes afferentes, ſubmiſſeque veniam, ſi Fridericus deliquiſſet, petentes, ad ſe admittere, vel in conſpectu concilii audire renuit: ſed quotidie fulmen anathematis ejaculatus, Joannem Hieroſolymitanum regem, ac Thuſciæ comites Imperatori rebelles, multosque alios è Lombardia proceres in rebellione confirmat, principibus ad diem conventus ab Imperatore Ravennæ indicti properantibus iter intercipit: ac milites cruce ſignatos Hieroſolymitanæ expeditioni accinctos, omni viatico ſpoliat. Iis itaque Fridericus viſis, quo Pontificis rabies mitigaretur, trajecto mari Accon applicuit, multaque propter Chriſti fidem non ſine labore ac gloria peregit. Interim vero Papa per Imperatoris abſentiam (proh nefandiſſimum Pontificum nefas) captata occaſione Apuliam tyrannidi ſuæ ſubjicit, cruce ſignatos milites trajicere prohibet, multaque horrenda non tantum vicario Chriſti, ſed & Pontifice Romano indigna committit. Nam & nuncios Imperatoris rem bene contra Soldanum geſtam nunciaturos, occidi mandat: & ut urbes Apuliæ, quæ ſe Pontifici ſubjicere noluerant, inflecteret, Imperatorem diem ſuum obiiſſe publice ſpargit. Soldanum etiam, quo ipſe pro ſua libidine totam Apuliam ſibi ſubjiceret, ne terram ſanctam Cæſari redderet, rogat. O pie-

Nauclerus gener. 41.

 tatem

tatem ſanctiſſimi patris. O ſtudium ſingulare Pontificis in perſequendis infidelibus. Idne militante pro Chriſtianis Imperatore, contra fidei Chriſtianæ hoſtes, patrem erat agere, an proditorem? vicarium Chriſti, an ſathanæ? At Imperator in Italiam reverſus, licet nuncios Pontificis cum literis ad Soldanum intercepiſſet, quibus hunc rogabat, ne terram ſanctam Cæſari redderet, nec vindicandi ſeſe de Pontifice occaſione deſtitueretur: tamen recuperatis iis quæ ſibi abſenti ablata fuiſſent, omnia tanquam fortis athleta amore Chriſti ſuffert atque diſſimulat: & pacis cupiditate ultro Pontificem ut in gratiam recipiatur, Imperatorque vocetur, ac pro regno Siciliæ verus Eccleſiæ feudatarius habeatur, rogat.

Cuſpinianus in vita Friderici.

At quantumvis multi Alemanniæ principes tam Eccleſiaſtici quam ſeculares, utpote Eberhardus Salisburgenſis, Seyfridus Ratiſponenſis, Sibotus Auguſtenſis Epiſcopi: Leopoldus Auſtriæ, Ottho Meroviæ, & Bernardus Carinthiæ duces, aliique complures de reconciliando Pontifice cum Cæſare tum Capuæ agente ſummopere anniterentur: nulla tamen concordia prius coire, vel abſolutio impetrari potuit, quam Imperator uncias auri centum & viginti millia per magiſtrum militiæ Teutonicæ ærario Eccleſiæ inferret. An hoc erat fratri peccanti, ſeptuageſies ſepties ignoſcere? an erat hoc gratis dare, quod nullis datis nummis acceperat? O paternum & placabile pectus: O munificum prolixumque mercatorem. Tanto itaque pretio abſolutione comparata, ſimulata amicitia convivio accipitur. Vix vero inde in Germaniam

Cuſpinianus. Platina in vita Gregorii. Nauclerus gener. 41. Platinam citans.

maniam profectus, ut Heinrici filii, qui Longobardis ac Thuſcis contra ipſum conſpirârat, delicta corrigeret: à principibus coram intelligit, miſſos à Pontifice nuncios, qui ejus nomine mandaſſent, ne quenquam ex familia Imperatoris decernerent regem: nec eo contentum, cum multis Italiæ principibus ut Imperatoria dignitate eum dejicerent, conſpiraſſe.

Cum ergo Fridericus irarum plenus, rebelles domiturus, multas Umbriæ, Longobardiæ atque Hetruriæ urbes expugnaret: Pontifex, qui id ægerrime ferret: Fridericum tertio diris devovet, & ut eum à faſtigio rerum humanarum deturbaret, cum Venetis nova fœdera init: deinde Romæ Concilium apud Lateranum ex conſilio Franciæ & Angliæ regum indicit, in quo de abrogando Friderico conſultatio haberetur: anteque ejus initium, Apoſtolorum Petri & Pauli in ſupplicatione ſolenni capita per univerſam urbem circumferri jubet. Adhæc, habita in Baſilica S. Petri oratione commiſerationis plena, populum cruce ſignat, ac arma contra eum ferentibus vitam æternam promittit.

Collenutius, quem præ cæteris vide. Platina in vita Gregorii IX.

Fridericus ea re cognita, non parum indignatus, contra ſe, tanquam infidelem Sarracenum vel Turcam, crucem dari: copias ad urbis mœnia ducit. Ibique prælio cum Romanis commiſſo, in quo inſigni clade afficiebantur, contra hos quam cruce ſignati erant, nihil crudelitatis prætermittit. His etenim quatuor plagas in modum crucis infligi, aliis caput quadrifariam inſtar crucis diffindi, clericis ſimilisque farinæ hominibus coronam clericalis digni-

dignitatis notam ad vivum reſecari, crucemque ei imprimi jubet: ut qui cruce ſignati dicerentur, re quoque ipſa eſſent. Poſt Faventia per longam obſidionem ad deditionem compulſa, cum cognoviſſet Pontificios legatos pro evocandis Eccleſiaſticis Galliæ & Angliæ, ad Concilium emiſſos, terra marique omnes vias Pontificiis, ne Concilium adire queant, præcludit: ex Cardinalibus, aliisque Eccleſiæ Prælatis, navigio vectis, per Piſanos complures capit, & in carceres detrudit: Cardinalium duos ſubmergit: aliorum quosdam Abbates, Epiſcopos, atque inter illos Papæ fratrem, ob inſignes proditiones patibulo ſuſpendit. Bonus itaque ille pater Gregorius, cum unctos Domini tam aſpere à Friderico tractatos cognoſceret, rei indignitate ita commotus atque turbatus eſt, ut in ægritudinem incidens, ex animi mœrore, viam, quam dilecti filii ſui ingreſſi erant, ſubſequeretur.

Nauclerus gener. 42. Sed hic maxime vide Collenutium.

Huic Cœleſtinus IV. ſuccedens, multa etiam contra Imperatorem Fridericum moliri cogitaverat: ea tamen furibundus Pontifex, ob vitæ brevitatem, perficere non potuit. Nam in pontificatu transactis ſolummodo decem & octo diebus, venenato poculo abſumitur.

Petrus de Vineis lib. 1. epiſt. 33.

In ejus locum Nocentius tertius Pontifex creatus, ex intimo Cæſaris amico, inimiciſſimus illico factus hoſtis, rabioſius quam alius quisquam optimum principem perſequi cœpit. Balduino namque Imperatore de pace inter Imperium ac Sacerdotium conſtituenda laborante: Pontifex Genuenſium navigio fretus, quod apud Centumcellas in portu conſederat, eluſis omni-

Collenutius, & Cuſpinianus

omnibus in Gallias Lugdunum profugit: ibique concilio indicto, Fridericum citari jubet, & ipſe concionabundus citat: non comparentem, ſed per Thadæum Sueſſanum Jureconſultum inſignem, tempus opportunum, quo venire Lugdunum poſſet, ſibi dari ſubmiſſe precantem, juſta dilatione negata execratur, Imperiali dignitate privat, principes à fidelitatis juramento abſolvit, eosque ut alium eligant Imperatore Friderico relicto hortatur: multas afferens cauſas falſiſſimas, & plane confictas, blaſphemias, perjurium, ſacrilegium, aliaque id genus, quæ in c. Apoſtol. de ſentent. & re judicata lib. *6.* videre licet.

in vita Friderici. Hieron. Marius.

Fridericus ergo hac ſententia Pontificis cognita, rebus Italiæ conſtitutis, inſtructiſſimo comitatu Lugdunum contendit, ut coram cum Pontifice agat. Cum autem Taurinum uſque progreſſus, ibi cognoſceret, exules Parmenſes, reliquis civibus Imperii ſtudioſis magna clade affectis, in patriam Pontificis inſtinctu reductos: veritus ne reliqui Italiæ populi ſimili exemplo rebellarent, omiſſa Lugdunenſi profectione retrocedit: ac literis ad regem Franciæ & ad univerſos Prælatos ſcriptis, omnia ſibi objecta honeſtiſſime refutat, ac nullitatem Pontificiæ ſententiæ prolixe demonſtrat, & ſimul ad obſidionem Parmæ viribus quam maximis ſe parat. Interea vero dum Groſſeti in ora maritima Senenſi hæret, aucupiisque indulget, quo animum gravioribus curis & occupationibus fatigatum reficiat: Pontifex, qui dies noctesque de Imperatore perdendo cogitaret, miniſtros ejus præcipuos partim perſuaſione religionis,

Cuſpinianus in vita Friderici. Nauclerus gener. 42. Epiſt. extat in epiſtolis Petri de Vineis, ep. 32.

nis, partim largitionibus corruptos, ad conſpirandum in necem domini proditorie induxit. Itane vero Chriſtus hoſtes diligendos cenſuit? Siccine Petrus reges honorandos præcepit. Sicariisne & parricidis, an Petri ſucceſſori, tales actiones convenientiores? Aſt conjuratione detecta, proditores dignas ſceleris ſui pœnas dedere.

De hac conjuratione vide Epiſt. 10. & 52. lib. 2. Rurſus epiſt. 19. & 62. lib. 3.

Nocentius vero, etſi ſcelerata machinatione ſe fruſtratum, ac Imperatorem ſuis manibus hoc tempore elapſum videret: non tamen deſiſtendum arbitratur, antequam ipſum & regno & vita privaret. Quare per ſerias gravesque cohortationes ac pollicitationes, principes Germaniæ impellit, ut Friderico exautorato, Landgravium Thuringiæ Henricum eligant. Aſt hoc, cum Ulmæ Friderici partes ſequentis obſidionem ſolveret, eodem anno quo rex electus erat, ita lethaliter vulnerato, ut Imperium cum vita relinqueret: nec ſucceſſore Wilhelmo aliis bellis occupato, quicquam in gratiam Pontificis ſuſcipiente: tum qui Fridericum diris Pontificiis ſpretis, Imperii rebelles in Italia acerrime perſequi, eumque nihil de infracto animi robore remittere videret, poſt longas multiplicesque inſidias ipſi ſtructas perficit, ut veneno dato tandem interimatur, anno Imperii 32, ætatis 57. ea die qua olim Imperator deſignatus erat.

Hunc finem ſcelere Pontificis ſortitus eſt heros præſtantiſſimus Fridericus ſecundus, utriusque Siciliæ & Hieroſolymæ rex, Sardiniæ & Italiæ dominus, dux Sueviæ, princeps ſtrenuus: non animi ſolum vigore, ſed etiam corporis

poris viribus excellens, fortis, magnificus, liberalis, multarum linguarum peritus, ac ſimul eruditus: cui ſi per Italorum rebellionem, ac Pontificum væſanam improbitatem arma in Chriſti hoſtes vertere atque exercere licuiſſet, næ ipſe Alexandro Magno par haberi potuiſſet.

Quinimo ſi hæc ætas noſtra, quæ Pontificis tyrannide excuſſa, Imperatori magis quam Pontifici obediendum eſſe didicit, illum Imperatorem vidiſſet, nec Imperio Germanico quicquam amplius atque auguſtius, nec Pontificia ſede abjectius contemptiusque haud dubie eſſet. Quare de eo nihil aliud dico, niſi ejus ſtatuæ merito ſubſcribi poſſe, quod olim Bruti libertatis Romanæ vindicis, UTINAM VIVERES.

Verum enimvero, quantumvis hoc generoſiſſimo principe extincto, odium tamen Pontificum extingui vel ſatiari non potuit: ſed id immani rabie ac impietate contra divinæ legis præcepta in poſteritatem ejus tamdiu extenſum eſt, donec hæc una cum regno vita quoque ab ipſis privaretur.

Nam à morte Friderici ſtatim Innocentius III, & ejus ſucceſſores Alexander & Urbanus, uterque ejus nominis quartus, regnum Neapolitanum magnis copiis & viribus aggreſſi, id Suevis eripere conati fuêre: ſed fruſtra, Manfredo id ſtrenue atque viriliter contra hoſtes defendente: donec quod Clemens quartus, cæpta prædeceſſoris Urbani proſecutus, Carolum provinciæ & Andegavorum comitem, Ludovici Francorum regis fratrem, ex Galliis evocatum hac lege, ut pulſo Manfredo quotannis feudi

Platina in vita Clementis quarti.

Vide Nauclerum generat. 43. feudi nomine 40. millia nummûm aureorum Eccleſiæ Romanæ perſolveret, nec Imperium Romanum etiam ultro oblatum acciperet, utriusque Siciliæ regem dixit. Tunc namque Carolus corona regnorum Siciliæ atque Hieruſalem Romæ in Lateranenſi baſilica accepta, poſt multas variasque conflictationes non tantum Manfredum ad urbem Beneventum à ſuis proditum devicit & occidit: ſed & nobiliſſimam familiam ducum Sueviæ, multorum præſtantiſſimorum Imperatorum genitricem, plus quam Phalarica tyrannide extinxit. Cunradino Cunradi filio ultimo ejus familiæ adoleſcente, quem regnum paternum repetentem prope Neapolim proditum in poteſtatem redegerat, tanquam Eccleſiæ perſecutore, ſcelerato Papæ conſilio ſecuri percuſſo.

Collenutius lib. 4. hiſtoria Neapol. Clemens ſiquidem Papa poſt multorum prudentium virorum, Cunradinum veluti unicum nobiliſſimæ familiæ Suevicæ columen ſervandum, ac affinitate devinciendum eſſe ſuadentium ſententiam, à Carolo, quid de Cunradino ſtatuendum eſſe cenſeret conſultus, in hæc verba proditor inclementiſſime reſpondit:

VITA Cunradini, mors Caroli: mors Cunradini, vita Caroli. Hac voce animum per ſe ſævum, ad cædem Cunradini inflammans: cum & ante ſe proditi Cunradini conſcium eſſe non obſcure oſtendiſſet: Cunradino magno Germanorum exercitu Viterbium, ubi tum degeret, transeunte, vaticinatus, ipſum tanquam agnum ad cædem duci.

Sic itaque Friderici familia à Pontificibus exagitata, & poſt innumeras ſtrages à ſanguinariis

nariis beluis funditus exciſa: principes Germaniæ fatalibus Pontificum & Imperatorum contentionibus ita territi fuêre, ut nemine Imperii curam ſuſcepturo, Alphonſus Hiſpanus & Richardus Anglicus Pontificio favore, quem pecunia emiſſe ſcribuntur, ad coronam, quam tantis ſeculis ſoli Germaniæ principes tenuerant, aſpirarint: ſed neutro tamen, metu alterius, quicquam attentante, Imperium viginti duobus pene annis legitimo rege caruerit, quoad poſt longam vacationem & civilia bella communi principum voto Rodulphus Habeſpurgicus eligeretur.

RODULPHUS HABSPURGICUS.

Rodulphus itaque Habſpurgicus à Friderici, filiorumq; ejus miſerabili interitu, rex Romanorum electus: etſi Gregorio decimo de Roma adeunda, & corona accipienda, fide data ejusdem aliorumque Pontificum amicitiam ſingulari ſtudio coleret, quod duabus potentiſſimis familiis Francica & Suevica à Pontificibus tyrannice extinctis & regno Neapolitano à familia Friderici ad Andegavenſes translato, non temere Pontifices Gallico præſidio, atque Germanicorum Epiſcoporum factione ſuffultos irritandos: ſed Germaniam, quæ jam vaſtata ac pene collapſa erat, in priſtinum ſtatum reſtituendam eſſe cenſeret: tamen ſua pietate, clementia, religione, humanitate, modeſtia ac humilitate nihil aliud gratiæ ab ingratiſſimis ſceleratiſſimisque Pontificibus referre potuit, quam jurium Imperii violentas invaſiones, op-

probriaque nefanda. Nam ejus ætatis Pontifex Honorius IV, invito Rodulpho, comitem Januenſem nomine Pnizivallam, jure Imperii ſibi arrogato, vicarium generalem Imperii in Italia conſtituit: & Rodulpho à civitatibus Imperii pro libertate conceſſa pecuniam recipiente, eam rem uti infamem Pontifex ſcelerate ſuggillavit. Et Nicolaus ejus nominis quartus poſt Honorii diſceſſum, Romandiola & Ravenna ſub falſa expeditionis Turcicæ ſpecie à Rodulpho extortis, niſi ejus conſilia mors præoccupaſſet, duos reges creare molitus eſt, quorum alterum Hetruriæ, alterum Lombardiæ præficeret: qui inde Theutonicos Alpes incolentes, hinc Gallos Siciliam & regnum Neapolitanum tenentes, armis in officio continerent. Iis itaque Rodulphus cognitis, coronæ Imperialis ſplendore in Italiam ſe pellici paſſus non eſt, publice ſemper novas occupationes cauſatus: apud amicos minime diſſimulans, ſe ab Italia deterreri, quod Cæſarum in Italiam veſtigia læta, magnifica, plenaque bonæ ſpei eſſent: ex Italia vero referentia & foras verſa, triſtia, miſera ac luctuoſa: alludens ad Apologum Æſopicum de vulpe, quæ leoni in ſpelunca ægrotanti dixerat, ideo ſe terreri ab ingreſſu, quod veſtigia omnia ingredientium, non egredientium eſſent animalium.

Mutius libr. 21. Nauclerus generat. 44.

Nauclerus ubi ſupra.

Paralip. Urſpergenſ.

ALBERTUS PRIMUS.

Cuſpinianus in vita Alberti. Paralip. Urſpergenſ.

Rodulpho patri, à ſublato Adolpho Naſſovienſi, in Imperio ſuccedens Albertus ejus nominis primus, licet eadem erga Ponti-

Pontificiam ſedem obſervantia qua pater eſſet: tamen atrociſſima Bonifacii octavi convicia effugere non potuit. Siquidem cum pro more electionis ſuæ confirmationem à Pontifice per Oratores peteret: Malefacius iſte enſe accinctus, coronaque imperiali ornatus in publicum prodiens, tyrannica voce clamavit:

EGO ſum Cæſar & Pontifex. ac indignabundus electionem, quæ ſine ſua autoritate facta eſſet, ut frivolam & nullam rejiciens, & confirmationem recuſans, Albertum contumelioſo opprobrio homicidam appellavit. Ac etſi poſtea graviſſima diſcordia inter Malefacium & Philippum Franciæ regem, qui Pontificem dominum ſuum agnoſcere nollet, exorta, mutato clypeo (ut dicitur) Imperatorem Albertum approbarit, eumque de regno Franciæ per literas inveſtiverit, rege Franciæ in publico conſiſtorio excommunicato: tamen cum Albertus ſe contra regem Franciæ nihil moturum diceret, niſi ſibi ſuisque hæredibus regno & Imperio confirmato: Papa quo virus animi reconditum proderet, arrogantiſſime ei reſpondit: Non futurum id Jetzabele vivente, hoc nomine feminam illuſtriſſimam Elizabetham, uxorem Alberti; filiam Menihardi, comitis Tyrolis, & Cunradini ducis quondam Suevorum ſororem ex matre, denotans: eamque ut cleri perſecutricem infenſiſſimam, contra divinæ legis mandata, ob fratris, majorumque res contra Pontifices geſtas, contumelioſe proſcindens. Haccine modeſtia tu quoque Petre, cum Nerone tuo agere, talique habitu coram ipſo incedere, teque jactare ſolebas? O ſtu-

Nauclerus gener. 44.

pendam ſucceſſoris tui veſaniam. Et hic eſt ille Malefacius octavus, qui regna & Imperia in ſua manu eſſe arbitratus, utrumque gladium uſurpavit, & totius mundi dominum haberi ſe voluit:. & clavigerum cœli ſe eſſe in ſuperbia gloriatus, à nemine judicari debere promulgavit, quamvis innumeras ad inferos animas ſecum duceret.

HEINRICUS VII.

POſt Alberti obitum, Heinrico ejus nominis ſeptimo, è familia Lucelburgica, legitimo electorum ſuffragio Cæſare deſignato: Clemens V. Pontifex, qui tum Avinione degens, cum Philippo Galliæ rege diſſideret, ejus electioni in odium Philippi Imperium ambientis, tanta facilitate conſenſit, ut per Italiam & Germaniam legatis miſſis, omnibus præciperet, quo Imperatorem reciperent, ejusque electionem hac lege confirmavit: ut intra biennium coronam Romæ accepturus, Italiam, quæ tunc ob ſexagenariam Imperatorum Germanicorum abſentiam inteſtinis diſſenſionibus miſerrime dilacerabatur, ingrederetur.

Mutius lib. 23.

Nauclerus gener. 43.

Verum non diu admodum hæc Pontificis voluntas ſibi conſtitit: ſed improbitate ſolita ad ingenium anteceſſorum declinavit. Nam cum Heinricus promiſſis ſatisfacturus, perluſtrata circumquaque Italia, ac Ruperto rege Apuliæ cum Urſinis bis profligato, Romam veniſſet, in Baſilica ſancti Petri coronam ſuſcepturus: Clemens, quem facti, ob potentiam Heinrici & amicitiam Ruperti regis, pœnituiſſet,

ſet, Cardinalibus initio coronatione Heinrici interdixit: deinde poſt gravem ſeriamque expoſtulationem ejus, in eam ita conſenſit, ut Heinricus Papæ juramentum præſtaret. At eo id facere recuſante, quod novi exempli rem eſſe, nec uſurpatam anteceſſorum ſuorum ætate diceret, Principem principum, ac orbis terrarum dominum, ſervo ſervorum fidelitatis juramento obſtringi: virtute Stephani de Columna Cardinales cum multitudine terrentis, coronam ab ipſis obtinuit: ſed ita, ut animus Pontificis penitus ab ipſo alienaretur. Nam Clemens odio Heinrici incenſus, ad Rupertum regem Apuliæ, quem is juridico ritu læſæ Majeſtatis condemnarat, hoſtemque Imperii judicârat, defecit, atque ſententiam in eum latam non tam Jurisprudentia, quam odio Imperatoris improbavit, atque reſcidit. Magnarum tum contentionum inter Pontificem & Heinricum ſemina jacta erant: ſed ea, præcipite atque præmatura hujus morte, ad nihilum recidêre.

Aventinus lib. 7. Cuſpinianus.

Vide c. paſtoralis. de ſententia & re jud. in Clement.

Nam cum Heinricus Siciliæ regnum, ad quod à Siculis vocabatur, occupare inſtitueret, atque in vigilia Aſſumptionis Mariæ Bonconventum veniſſet, à Pſeudomonacho Bernardo Dominicano, qui ſe diu amicum Imperatoris ſimulârat, cœleſti victima toxico oblita, atque polline adamantino (quod præſentiſſimum venenum eſſe ajunt) ſacræ optimi principis potioni indito, novo & inaudito exemplo extinguitur. Id omnibus ejus ætatis faſtis, annalibus, actis, rhythmis, carminibus & epigrammatis publice eſt divulgatum. Dominicani

Rhythmi de morte Heinrici impreſſi, hunc proditorem veneficum Paulinum vocant.

cani tamen ordinis fratres id conſtantiſſime negârunt: prætendentes, ægritudine animi, quod vindictæ avidus, de hoſtibus, ut vellet, ſupplicium ſumere non potuiſſet, animam Imperatorem efflaſſe: literis à ſanctiſſimo patre acceptis, quæ teſtarentur, ſceleſtum Judam innocentem fuiſſe. Verum enimvero, iis fratres ordinis iſtius, ſceleris commiſſi ſuſpicione exonerari non potuêre, quin eorum quam plurimi in Thuſcia, Lombardia, aliiſque locis, una cum domibus igne gladiove perirent.

LUDOVICUS BAVARUS.

HEinrico, eo quo diximus modo, perfide ſublato, quæ tempeſtas in vita ejus impendêre videbatur, poſt obitum ejus, ſævo diſſenſionum turbine, malorumque procellis detonuit. Friderico ſiquidem Auſtrico & Ludovico Bavaro, diſcordi electorum ſuffragio electis, Johannes XXII. utriuſque exagitandi occaſione oblata, initio Fridericum ignominioſiſſime reprobavit. Nam cum Cunradus Gurcenſis Epiſcopus ab Auſtriacis miſſus, ut à Pontifice Friderici Imperium, Ludovico in ordinem redacto, ratum haberi peteret: & avis atavisque Friderici collaudatis, fortes fortibus atque bonis procreari commemoraret, is arrogantiſſime reſpondit: Salomonem omnium mortalium haud dubie ſapientiſſimum, filium tamen ſtolidiſſimum genuiſſe. Minime obſcure hoc innuens, Fridericum à majoribus degenerare, Imperiique corona indignum eſſe. Sed paulo poſt cum ipſo clam

Aventinus lib. 7. fol. 750.

clam concordia inita, ipſum contra Ludovicum, quem regem & dilectionis filium, inſtar Judæ ſalutârat, concitatum, in Italiam contra Maphæum ejusque filios vicecomites, Genuam infeſtantes, vocavit. Ac Friderico anno octavo poſt electionem acie victo & capto, Ludovicum acerrimo odio proſequens, ut eccleſiæ rebellem, ſchiſmaticum & hæreticum declarat, cum quod ſtatim poſt electionem antequam à Papa juberetur, nomen jusque Imperii uſurpaſſet: tum quod fratres quosdam Minores à ſe hæreſeos condemnatos, dirisque imprecationibus proſcriptos, ſuſcipere, & Galeatio vicecomiti Mediolanenſi ejuſque fratribus contra Pontificios ſuppetias ferre non dubitaſſet. *Cuſpinianus in vita Ludovici Pulchri. Nauclerus generat. 46.*

Ludovicus ergo, cum divini humanique juris peritiſſimis ejus ætatis conſultis intellexiſſet, acta & dogmata Joannis Chriſtianæ doctrinæ repugnare, Papam debere ſubeſſe Imperatori, nec hunc in temporalibus illi ſubjectum, ita confirmatus eſt, ut à Papa male informato, quemadmodum loquuntur, ad Papam bene informandum, & ad concilium generale quando eſſet Romæ in ſede beati Petri appellaret, Papæque conatibus ſeſe viriliter opponeret: appellationis formula per omnes Imperii fines promulgata. Cæterum dum ad hunc modum verbis & ſcriptis contenderetur: accidit, ut Romani graviſſimis factionibus vexati, miſſis ad Joannem legatis ſupplices peterent, ut Avinione relicta, urbem Pontificum ſedem reviſeret, ac regi Romanorum imperialia ſigna conferret: id ni faceret, ſe antiquam populi Ro- *Nauclerus gener. 45.*

mani legem ac jura ſervaturos aſſerentes. Verum Pontifice petita Romanorum nonſolum renuente, ſed & ſumma cum ignominia, terroribus ac minis oratores auditos à ſe repellente: illi indignitate faſtus pontificialis moti, Ludovicum, tanquam legitimum Imperatorem, literis & nunciis Romam vocant. Ludovicus ergo ipſorum poſtulatis acquieſcens, Italiam cum exercitu petit: ac Mediolani ab Archiepiſcopo pro more coronatus, cum, antequam armis rem experiretur, rabiem Pontificis deliniendam ſtatueret, miſſis ad eum legatis, Imperialia ſigna ſibi more majorum ab eo conferri benigne rogat. At cum Pontifex id non modo facere recuſaret, ſed & legatis repulſis, Imperatorem ipſum peremptorie (ut dicitur) Avinionem citaret: Imperator, qui Pontificiam tyrannidem in Eccleſia agnoſceret, & Imperatoriam dignitatem divinitus ſibi collatam, ſanctam & inviolatam ſervare ſtuderet, Pontifici ſervi inſtar ſubjici, & Avinionem petere denegat, ac pacis ſtudio denuo per nuncios Imperialium ſignorum collationem poſtulat. Quibus à Pontifice denegatis, ſimulque Vicecomitibus in odium ejus anathemate percuſſis: tum vero Ludovicus rebus Mediolani conſtitutis, Romam proficiſcitur: ibique magna cum gratulatione exceptus, juſſu totius cleri ac populi una cum conjuge à Stephano Columna Cardinali coronatur, omnibus nobilibus qui aſtabant acclamantibus, Ludovicum Auguſtum Romanorum Imperatorem: & mox eorum conſilio, Petrum Corbarienſem, profeſſorem Minorem, virum doctum, ac ad res gerendas aptiſſimum, ſum-

Cuſpinianus in vita Ludovici.

ſummum Pontificem creat : qui ſimulachro Joannis fabrefacto id aſtante Cæſare ignominioſe concremat : eumque hæreticum atque Eccleſiæ tyrannum, publicæque Chriſtianorum pacis perturbatorem declarat.

Cæterum Joannes hiſce auditis, & ipſe duriſſimos proceſſus contra Ludovicum publicat, Imperiali eum dejiciens dignitate : crudeliſſimaque excommunicatione, tanquam Romanæ Eccleſiæ rebellem & hæreſiarcham, acerbiſſime condemnans. Imperator ergo Ludovicus, cui Italia, cum quod longo tempore in ea fuiſſet commoratus, tum quod venenum (quo Romaniſtas magis quam armis certare cognoverat) metueret, diſplicere cœpiſſet : hac tanta Pontificis rabie cognita, Germaniam repetiit. In quam eo reverſo, Papa Joannes mox Avinione moritur, omnium animis in eam ſpem erectis, novi Pontificis electione tantas turbas ſedatum iri. Sed huic ſuccedens Benedictus XII, nil ipſo benignior in Ludovicum exiſtit. Nam ſtatim cenſuras in Bavarum à Johanne factas, ut in uſurpatorem Imperii, confirmat, eumque omni regio honore & ducatu Bavariæ privat.

Platina in vita Benedict. 12. Cuſpinianus in vita Ludovici.

Cæſar itaque cum hoc à Pontificibus agi cerneret, ut Cæſarea dignitate conculcata, tyrannidem ſuam ſtabilirent : Francofurtum principibus, ac humanæ divinæque ſapientiæ doctiſſimis quibusque convocatis, decretum de conſilio doctorum ſub ſigillo ſuo contra proceſſus defuncti Johannis promulgat, rationem fidei ſuæ clariſſime reddit, plane ingenueque profitens, ſe Chriſtianum hominem, articulos fidei

Apud Nauclerum decretum hoc extat, generat. 45.

 inte-

integre credere. Adhæc multa præclara proponit, publica atque ſolenni acclamatione novas confirmationes antiquis legibus addens, easque corroborans: ſcilicet ut Electores Imperii, & nullus alius, regem Romanorum eligant: cuique plura accedant principum ſuffragia, is etiam in diſcordia verus cenſeatur electus ſive Rex, ſive Imperator: cum in eſſentia idem ſint, licet nomina diverſa credantur: idemque poſſit, citra Apoſtolicæ ſedis confirmationem, Imperii jura & exercere, & adminiſtrare. Debeat quoque mox idem poſt Principum inſinuationem à Pontifice inungi, ſi legitime ſit electus. Quod ſi recuſet Pontifex, poſſit à quocunque Catholico antiſtite proclamari Imperator & Auguſtus: cum maxime inunctiones iſtæ ſolennitates tantum quædam ſint adinventitiæ, à Pontificibus excogitatæ, nomina tantum, & non res concedentes. Quis enim Romanorum Pontific. conſecravit Conſtantinopolitanos Imperatores? Et quis, ante Carolum, multos Chriſtianos Cæſares? & ante Conſtantinum, ethnicos quis ſacravit Imperatores? Nec fidelitatis juramentum Pontifici tribuit Imperator: ſed obſequii, ac fidei defenſionis. Præterea falſiſſimum eſſe oſtendit, per vacationem Imperii jus ad Papam devolvi: idque eſſe contra ſacri Imperii libertatem, dignitatem, jura ac Majeſtatem. Longa enim & approbata conſuetudine, inconcuſſe à majorum ordinatione hactenus obſervata, vacante Imperio, jus adminiſtrandi Imperii jura, feuda conferendi, & negotia cætera diſponendi, Palatino Rheni debetur, non obſtante clementina Paſtoralis. Quis

Albertus Krantzius lib. Saxon. 9. cap. 15.

Quis hanc prudentiam Ludovici, cum inſigni moderatione conjunctam, non efferat? qui ira atque vindictæ cupiditate repreſſa, omnia ita egit, ut prudentia principibus Germaniæ probata, bonitas Pontifici ipſi celebrata ſit? Nam cum paulo poſt initia pontificatus inter Benedictum, regemque Franciæ, ſimultate exorta, Imperator de ea certior factus, per ſplendidiſſimam legationem à Pontifice abſolutionem & reſtitutionem peteret: Pontifex multis in laudem Germaniæ & Ludovici commemoratis, ſe curaturum promiſit, ut nobilis iſte ramus Eccleſiæ (Ludovicum intelligens) qui jam ab arbore ſeparari cœpiſſet, eidem redintegraretur: & adverſus oratores regis Galliæ, Rupertique Apuliæ, qui ipſum multa nefanda contra Pontificem machinatum conquerebantur, intrepide tutatus eſt: cum aperta teſtificatione, Pontificios contra eum, non ipſum contra eos feciſſe. *Nauclerus gener. 45.*

Verum utut innocentiam Ludovici agnoſceret, tamen rege Franciæ in odium Imperatoris atque Pontificis Cardinalium reditus in regno Galliæ intervertente, ac rege Bohemiæ Johanne, & duce Bavariæ Heinrico de novo Imperatore eligendo nefaria conſilia agitantibus, facile ab abſolutione innocentiſſimi Imperatoris ſe retrahi paſſus eſt: & pace tandem inter Ludovicum & Francum conſtituta, Pontifex, qui hanc invitus videret, eam ratam firmamque rogatus habere noluit: prætendens, Ludovicum ad arbitrium regis nunc hæreticum, nunc Chriſtianiſſimum minime haberi debere. En quibus artibus Pontifices, noſtros Imperatores *Nauclerus ubi ſupra.*

ratores

Cuſpinian. Marius. ratores tractare, ludificarique ſoleant? Hoc itaque modo abſolutionis negotio protracto, Imperator, qui fraudes Pontificias animadverteret, Electores ac principes Renſii convocat: quos cum facile comitate, liberalitate atque clementia ſua ſibi devinxiſſet, res eo deducta eſt, ut non tantum præſtito juramento, Imperii jura ſe ſervaturos promitterent: ſed & decernerent, Johannis quondam Pontificis proceſſus adverſus Ludovicum nullos fuiſſe, nec decuiſſe Pontificem talia contra Imperatorem attentare, cum eorum jurisdictiones diſtinctæ ſint.

Cuſpinianus & Paralip. Urſpergenſ. Interea Benedicto vitæ finem accipienti, ſuccedit Clemens VI. homo mulierum, honoris ac potentiæ cupidiſſimus: qui ſtatim diabolico furore percitus, literis Latinis & Germanicis, foribus templorum affixis graviſſimarum pœnarum ſupplicium Imperatori comminabatur, niſi infra triduum Deo & Eccleſiæ (ſe hujus nomine intelligens) ſatisfaceret, & ab occupatione jurium Imperii deſiſteret: eoque triduo exacto, & nemine Imperatoris nomine comparente, eum contumacem declarat: ac poſtea per Oratores veniam petenti, cum oblatione, ſe omnia injuncta pro virili facturum: formulam reconciliationis duriſſimam, cumque perpetua turpitudine conjunctam præſcribit: nimirum, ut omnes hæreſes atque errores confiteretur, Imperium deponeret, & ſe atque filios ſuos & bona omnia in manus ac voluntatem ipſius reponeret.

Ubi hîc boni paſtoris forma? ubi patris aſpectus? ubi ſanctimoniæ ſpecimen?

Verum

Verum enimvero, etſi has conditiones ne viliſſimum quodque mancipium acceptaſſet: optimus tamen Imperator, cum bella, cædes, ac ſanguinis effuſiones, ſi ſe non ſubjiceret, exoritura videret, formulam Pontificiam ad ſe allatam recipit: illam non tantum ſigillo corroborans, ſed & ſervaturum ſe juramento affirmans: in tantum ſeſe dejiciens, ut Pontifex hac humilitate audita, cum toto ſuo purpurato collegio admodum miratus ſit.

Cum autem rem tantam citra Electorum, principum atque ordinum Imperii conſilium ſuſcipi minime fas duceret, ideoque ipſis Francofurti congregatis, formulam reconciliationis perlegendam monſtraret: ipſi, qui eam in plerisque in perniciem ac deſtructionem Imperii conceptam judicarent, ea rejecta, Imperatori firmum auxilium, ſi jura Imperii, ut ante fecerat, ſtrenue viriliterque propugnaret, promiſerunt: ſimulque legatione ad Pontificem miſſa, ipſum monuêre, ut à frivolis illis & in læſionem Imperii excogitatis conditionibus deſiſteret.

Ea itaque ad Pontificem veniente, rigoremque articulorum in Imperii perniciem conceptorum declarante, nec aliud agente, aut petente: Pontifex, qui horum omnium cauſam in Ludovicum transferret, eluſæ tigridis inſtar efferatus, cum Joanne ac Carolo Bohemiæ regibus, ante à Ludovico devictis, eorumque patruo Balduino Trevirenſi Archiepiſcopo, de Ludovici filiorumque ejus extirpatione majori ſollicitudine meditari cœpit.

Anno-

Anno igitur humanæ liberationis quadrageſimo ſexto, ſupra milleſimum trecenteſimum, in cœna Domini, Ludovicum Imperatorem crudeliſſime execratur: ac Johannis Pontificis duriſſimis proceſſibus innovatis, eum hæreticum ac ſchiſmaticum declarat. Ad hæc, ne quid intentatum relinquat, principes Electores admonet, ut alium Imperatorem intra certum tempus eligant; id ni faciant, ſe daturum operam, ne diutius Eccleſia patrono careat, & advocato. Poſtremo, in gratiam Bohemorum prædictorum Archiepiſcopum Moguntinum Heinricum de Wirtenburg, quod Imperatori adhæreret, dignitate ac autoritate eligendi privat, inque ejus locum Gerlacum Adolphi Naſſavienſis, quondam Romanorum regis nepotem, & Pontificium ſacellanum ſufficit. Novus itaque Pontificius Archiepiſcopus, quo ſui domini cupiditati ſerviret, ac officium à Bohemis in ſe collatum ſimili officii genere remuneraret, ad novum Imperatorem deligendum principibus Renſii convocatis, cum Baldevino Trevirenſi, Walramo Colonienſi, Rodulpho Saxoniæ duce, & Joanne Bohemo patre, Carolum Bohemum regem Romanorum ſtatuit.

Paralipomena Urſpergenſis. Etſi autem Ludovico vivo Carolus electus, & Bonnæ coronatus ſit: tamen & ejus autoritas, & civitatum erga eum benevolentia tanta fuit, ut convocatis poſt electionem Caroli principibus ac civitatibus Imperialibus Spiram, nullus inventus ſit qui vel electionem Caroli approbaret, vel Pontificios proceſſus curaret, ſed omnes in fide data ſe permanſuros affirmarint.

Quid

Quid itaque ſi armis negotium tranſigere voluiſſet? At, cum nunquam, quantumvis contumeliis irritatus, ulli bellum intuliſſet, ſed ſemper tantum armis invadentes repuliſſet: patriæ ac publicæ utilitatis ratione habita, nihil armis tentandum ſtatuit, ſed ad ſua ſe recepit: ubi in lætiori convivio, veneno, ex Clementis inſidiis (ut quidam literis prodidêre) hauſto, dum venationem ingreditur, quo motu atque labore corpus calefaceret, de equo præcipitatus, indigniſſime eripitur bonis omnibus, anno proximo poſt Caroli electionem, quinto idus Octobr. anno ſalutis milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo: cum annos tres & triginta inter magnas adverſationes ita tenuiſſet Imperium, ut quem viventem boni omnes ſpreta Pontificia execratione juverant, ejus defuncti nomen atque memoriam contra maledicos ejus conſtanter defenderent: ut cum ex aliis hiſtoriis, tum ex ea quæ de Baſilienſi Conſule literis eſt prodita, id patet. Nam cum Epiſcopus Bambergenſis, ſibi à Pontifice commiſſione (ut vocant) de abſolvendis iis qui Ludovico adhæſiſſent, Avinione tranſmiſſa, anno ſequenti poſt mortem Ludovici Carolum Baſileam comitatus, Senatui perſuadere conaretur, ut (quandoquidem partium Ludovici ac Pontifice excommunicati fuiſſent) abſolutionem peterent: tum Cunradus de Berenfels, conſul civitatis Baſilienſis, præſente Carolo, multisque aliis Eccleſiaſticis atque prophanis maſcule reſpondit, dicens: Domine Bambergenſis, ſciatis quod nec fateri, nec credere volumus, dominum noſtrum

Paralipomena Urſpergenſis. Nauclerus, Urſpergenſ. gener. 45.

noſtrum Ludovicum Imperatorem Romanorum unquam fuiſſe hæreticum: & quemcunque Imperii Electores nobis dederint, hunc recipimus, etiamſi nunquam Papam requirat. Ut autem hæc maſcula vox Conſulis, animum viri, legitimum Magiſtratum debito honore agnoſcentis, ac innocentiæ, virtutis amore, teſtimonium perhibere minime reformidantis oſtendit: ſic Ludovicus eo digniſſimus fuit, vir ſiquidem optimus, ac Imperii libertatis ſtudioſiſſimus, hoſtisque Pontificiæ tyrannidis acerrimus extitit: ita ut meritò numero eorum aggregandus videatur, qui bene de patria merendi ſtudio, nullas adverſitates refugerunt: ſed patriæ dignitatem commodis privatis præponentes, omnis poſteritatis memoria digniſſimi cenſentur.

CAROLUS IV.

CArolus itaque defunčto Ludovico, cum competitores Imperii ſibi à Moguntino Palatino, Saxonico & Brandeburgico electoribus objectos, variis modis placaſſet, tandem à liberis civitatibus Imperialibus occaſione pollicitationis, de impetranda ipſis abſolutione excommunicationis, quod Ludovico adhæſiſſent, inque Italiam profectus, Imperialem coronam obtinuit; ſed majore dedecore quam ſuperiorum Imperatorum quiſquam. Siquidem cum pedes urbem ingrederetur, Senatorum quidam oratione ad populum in Capitolio habita: Ecce (inquit) Rex tuus venit tibi manſuetus, ſalſe ludos jocosque de ipſo faciens.

Nauclerus generat. 46.

faciens. Et Hoſtienſis Cardinalis ab Innocentio VI. ad eum coronandum Avinione miſſus, non alia niſi hac conditione eum admittere voluit, ut neque Romæ neq; in Italia diutius moraretur. Quam vero turpis & ignominioſa hæc conditio Imperatori fuerit, ex Franciſci Petrarchæ, ejus ætatis diſertiſſimi, omniumque bonarum artium inſtauratoris eruditiſſimi, epiſtolis colligere licet, dum ad ipſum Carolum ita ſcribit: Neſcio quid Romano Pontifici pollicitus jurejurando interpoſito, quaſi muro valido ſeu monte invio Romanæ urbis aditu prohiberis. Quænam iſta ſuperbia eſt, principem Romanum, publicæ libertatis autorem, libertate privare: ut cujus eſſe debent omnia, ipſe non ſit ſuus? Et alio quodam in loco Nerio Forolivienſis ſcribens ab hiſce non aliena ſentit: Omnis (inquiens) poteſtas impatiens conſortis erit; cujus rei ſi qua antiqua non ſufficerent, vereor ne recens nobis exemplum caſus attulerit: neu jam Pontifex Romanus principem Romanum Romæ eſſe vetuerit, quod fama loquitur, quem nunc diademate contentum ac Imperii titulo, Romani non ſolum patitur, ſed jubet: & quem dici Imperatorem ſinit, imperare nullo modo ſiturus eſt. Ut vero Caroli ſocordia, hanc Pontificis deteſtandam ſuperbiam atque tyrannidem diſſimulanter ferentis, merito culpanda eſt: ſic Pontifices odio digniſſimi ſunt, qui Imperatoribus optimis pro ſua libidine remotis, ſuarum cupiditatum miniſtros atque ſatellites per horribilia bella ſubſtituerunt: Imperium in eam calamitatem, in qua adhuc hodie proſtratum jacet, ſceleratiſſi-

me conjicientes. Hic ſiquidem Carolus, quo competitoribus Imperii pacatis, bonis Imperii, quibus ſemper inhiarat, libere potiretur, deque iis ex animi ſententia negotiari poſſet, Gunthero comiti Schvvartzburgico, viro ſtrenuo & militari, ab Electoribus ſibi contrariis electo, & Imperatore deſignato, viginti duo millia marcarum argenti, ac duo oppida Imperialia in Thuringia, ad tempus vitæ dedit: Friderico Marchioni Miſnenſi, qui in Schvvartzburgici extincti locum electus erat, decem millia marcarum ſolvit, ut Imperio cederet: mox Romam ad coronam accipiendam profectus. Ex ea tanta ignominia, quanta Imperatorum nullus, ſub ſpecie venationis elapſus, atque Mediolanum reverſus, familiæ Vicecomitum, qui tum Mediolani plurimum poterant, ingenti pecuniæ vi accepta, ut perpetui vicarii Cæſaris per Longobardiam eſſent, in magnum Imperii detrimentum, conceſſit: regnum Arelatenſe ab Othone primo Imperio adjectum, ſumpto magno prandio in villa nova prope Avinionem, Galliæ regi tradidit: Gerlaco Archiepiſcopo Moguntino, cujus ſuffragio electus erat, jus regis Bohemiæ inaugurandi Moguntinæ Eccleſiæ competens ademit, atque in Pragenſem Archiepiſcopum à Clemente VI. confirmatum tranſtulit, inque collegium Canonicorum regularium Ingelheimenſe, Moguntinenſis diœceſis, ſolos Bohemos recipi ſanxit: mox quoque, ut lucrum ſperatum ex Imperio conſequeretur, ſedecim liberas civitates Suevicas ad Imperium pertinentes, vicinis principibus vendidit: Bopardiam & Weſaliam Impe-

Cuſpinianus in vita Guntheri.

Idem in vita Caroli.

Aventinus lib. 7.

Theodoricus de Nyem.

Zieglerus de viris illuſtribus Germaniæ, cap. 91. & Krantz. lib. 10. cap. 3.

Imperiales civitates Cunoni Archiepiſcopo Trevirenſi arctiori impigneratione obligavit. Luſatiam, quæ Imperialis beneficii nomine multis annis ab Archiepiſcopo Magdeburgenſi poſſeſſa fuerat, Archiepiſcopo ejus temporis pecunia corrupto, ut jura Eccleſiæ ſuæ venundaret, regno Bohemiæ in omne ævum adjunxit: ut filium Wenceslaum, hominem ignavia, torpore, ocio, luxu, deliciis, omnique voluptatum genere corruptiſſimum, ſucceſſorem ſibi pararet, adverſus leges avitas & patrias, contra morem majorum, novo, inaudito & peſſimo exemplo, cuique electorum centena millia aureorum promiſit: quæ cum ſolvendo non eſſet, quibuſdam vectigalia, Palatino autem (ut memoriæ proditum eſt) Cæſaream Luthream, Oppenhemium, Odenhemium, Ingelhemium, pro centum millibus aureorum oppignoravit. Unde Imperatoria Majeſtate ad nihilum redacta, Imperium hucusque caput attollere nequivit. Illis ſiquidem vectigalibus, quæ Imperii patrimonium erant, partitis, deplumata eſt Aquila, ut cæteris animantibus contemtui ſit. His ergo ſe ita habentibus, quis Imperialis Majeſtatis patriæque amans, Pontifices horum malorum autores, tanquàm filios perditionis, atque teterrimas Chriſtiani orbis peſtes, non execraretur?

Saxon. Trithemius in Chron. Hirſavigenſ. Æneas Sylvius cap. 33. hiſtor. Bohemicarum. Vide autem de his omnibus, & aliis quam plurimis prolixe Theodoricum de Nyem, in Nemore ſuo jam edito, cap. 71.

Zieglerus de viris illuſtribus Germaniæ, cap. 83.

WENCESLAUS IGNAVUS.

POſt carolum Wenceslaus filius, Imperii gubernaculis ſuſceptis, cum durante ſchiſmate inter Urbanum VI. & Clementem

 VII.

Nauclerus gener. 47.

VII. (quo nullum perniciofius aut diuturnius unquam in Eccleſia fuit) Urbano ſeſe adjungerat: Clemens, legatos ipſius, inter quos quidam honeſti ſacerdotes fuiſſe memorantur, miſſos ad ſe magnis cruciatibus inclementiſſime interfecit. At, cum cenſu Eccleſiaſtico ab Urbano per totum Imperium, in ſubſidium Romanæ profectionis impetrato, avarus rex, avariſſimos Romanos, pecuniæ, ex reditibus eccleſiaſticis coactæ inhiantes, adventus ſui ſpe fefelliſſet, & is totum ſe ab amicitia ejus avertit. Sed morte præventus, quod in ipſum haud dubie attentaſſet, Bonifacius IX. ejus ſucceſſor perfecit. Nam is Wenceslai dejectione ab Imperio, non tam quod vitæ genere ac educatione corruptiſſimus eſſet, quam quod Romanos fefelliſſet, approbata, Ruperti comitis Palatini electionem per Archiepiſcopos Moguntinenſem, Colonienſem & Trevirenſem factam, ratam firmamque habuit.

Theodoricus de Niem, lib. 2. cap. 14.

RUPERTUS CÆSAR.

Theodoricus de Niem, lib. 3. cap. 53.

Ut vero Bonifacius Nonus in odium Wenceslai ejus dejectionem, ut diximus, facillime promptiſſimeque approbavit: ſic Ruperto rerum potiente Alexander V. malitioſiſſimus Cretenſis, tertius à Bonifacio Romanus Pontifex, animo in Rupertum mutato, non triſtius in Imperio, quam tunc in Eccleſia eſſet, ſchiſma ſcelerate excitare conatus eſt. Nam ſtatim poſtquam in concilio Piſano cathedræ piſcatoris præfectus eſſet, jure Ruperti juſto titulo Imperii poſſeſſione gaudentis, penitus

penitus neglecto, Wenceslaum unanimi electorum ac principum ſententia Imperio remotum, literis ſuis regem Roman. nominavit. Unde Rupertus hanc injuriam ac violentiam ægerrime ferens, de ea principibus vehementiſſime conqueſtus eſt: ac Alexandri obedientiam in Germania fortiter turbavit: majora in ipſum ſuſcepturus haud dubie, ni incendii gliſcentis ſcintillæ, una cum Pontifice, pharmaco Marſilii Parmenſis medici extincto, magno totius orbis Chriſtiani commodo, ſopitæ fuiſſent. Porro vero dum Rupertus iis emendandis, quæ avaritia Caroli, & ignavia Wenceslai corrupta fuiſſent, intendit, anno Imperii decimo vitam amittit: Imperio ad Sigiſmundum, principem ſapientia, eruditione & probitate clariſſimum, transmiſſo.

SIGISMUNDUS.

Sigismundus itaque, cum eo tempore ad Imperium accerſitus eſſet, quo Eccleſia graviſſimo ſchiſmate per tres Antipapas, Johannem XXIV. Bononiæ, Gregorium XII. Arimini, Benedictum XII. in Hiſpaniis ſe continentem, miſerrime dilaceraretur, ut ſchiſmate ſublato, Romana ſedes in portum collocaretur, tantos labores pertulit, quantos ante ipſum pro Eccleſiæ ſalute pauciſſimi regum vel Imperatorum ſubiiſſe leguntur. Etſi enim jure ſuo, atque exemplo anteceſſorum, faces iſtas diſſenſionum ſede Pontificia dejicere, easque coercere potuiſſet, ac debuiſſet: tamen moderatione ac autoritate concilii generalis, quam armis

Nauclerus gener. 48. Paralip. Urſpergenſ. Cuſpinianus.

armis ac violentis remediis diſſidium hoc tolli maluit. Ideoque quo cæteri reges in concilium coirent, non ſine graviſſimis laboribus, ſumptibus & periculis, regna fere omnia totius orbis Chriſtiani peragravit, Galliam & Hiſpaniam adiit, in Angliam navigavit: cumque regibus iſtarum terrarum egit, ut pium ac neceſſarium conſilium ejus approbarint, idque ſe adjuturos polliciti fuerint. Poſtea in Italiam profectus, Johanni Pontifici Mantuæ perſuaſit, ut Conſtantiam ad concilium veniret: Concilioque congregato effecit, ut remotis tribus Antipapis, Ottho Columna patricius Romanus, aſſumto nomine Martini V, Pontifex omnium nationum ſuffragiis eligeretur. Adhæc Huſſium & Hieronymum Pragenſem, viros eruditione & pietate excellentiſſimos, contra fidem datam publice condemnari, & crudeliter comburi tulit, ut diſſidiis ſublatis pax in Eccleſiam reduceretur. At quam gratiam ab ingratiſſima iſta ſede retulit? ſane talem, quæ quemlibet prudentem, à benefaciendo ipſi merito deterrere debeat. Nam cum aliquo tempore poſt, Pontificatum Eugenio Quarto Veneto occupante, in Italiam pro corona Imperiali accipienda veniſſet, ac ſe Philippo Mediolanenſium duci, tunc cum Venetis & Florentinis belligeranti, paulo benigniorem exhibuiſſet: hi potentiam Imperatoris veriti, facile Pontifici perſuaſêre, ut is, Imperatori corona denegata, ſuas copias Venetorum ac Florentinorum adjungeret, ac ipſum à tranſitu Arni Senas præterfluentis, arcere conaretur. Egregia ſane gratia Sigismundo relata, ac digna Ponti-

Platina in vita Martini V. præter alios.

Platina in vita Eugenii IV.

fice

ſice Romano. Ac licet multorum interceſſione aſſidua res tandem eo deducta ſit, ut cum Imperator Senis ſex totos menſes, ſpe coronationis, magnis impenſis ſubſtitiſſet, bona Eugenii gratia Roma coronatus diſceſſerit: tamen ſanguinarius iſte Pontifex, aliquanto tempore poſt, Pontificatu dejectus, quod decretum concilii Conſtantienſis (quo ſancitum erat, ut Pontifices ſeptimo quoque anno, pro ſervanda Chriſtianorum unione, generalia celebrarent concilia) evertere, Conciliumque Baſilienſe à Martino indictum, & à ſe confirmatum, impedire conatus eſſet, maximas Germaniæ calamitates ſub Friderico III. Auſtrio ſuſcitavit: Ludovico Caroli regis Franciæ filio, quem Delphinum vocant, contra Germanos concitato. Hic namque quo Concilium Baſilienſe ad placitum Eugenii diſſiparet, cum ſuis Armeniacis & cæteris gentibus, Alſatiæ vicos & nonnullas civitates, dolo, perditione, ac blandimentis ingreſſus, Alſatiam omnem vini atque frumenti feraciſſimam miſere vaſtavit: ac ædes, domos, caſas civium, pauperum, orphanorum, viduarumque, & ipſa Dei noſtri ſacratiſſima templa crudeliter ſuccendit. Cæterum cum omni crudelitate in Alſatia perpetrata, tandem Baſileam cum triginta millibus acceſſiſſet, à tribus millibus Helvetiorum fortiter pro patria pugnantium cæſus, ægre tertiam partem mutili fractique exercitus in Gallias reduxit: dignam malitia Pontificia mercedem referens.

Wimphelingus in Epitome rerum Germanicarum.

Nauclerus gener. 49.

FRIDERICUS III.

SIgismundo ſucceſſit Albertus, at eo, biennio poſtquam electus eſſet decedente, rerum ſumma Friderico Auſtriaco delata eſt: qui cum natura clemens, manſuetus ac pacis ſtudioſiſſimus eſſet, ne Pontifices pacis turbatores ac hoſtes perpetuos offenderet, ſedulo cavit. Non tamen ipſorum adverſationes evitare, ſuperbiam emollire, vel fraudes penitus effugere potuit. Nam cum tempore Concilii Baſilienſis, nimirum anno Domini 1441, publica deliberatione Moguntiæ tractaret de Concilii Baſilienſis, quod Papa evertere conabatur, authoritate conſervanda, & exactionibus quibus Papæ Eccleſias Germanicas exugerent, minuendis, literis ea de re ſcriptis ad regem Galliæ, ut vel ad eum conventum veniret, vel aliquot eximios viros mitteret. Papa eo cognito, id per legatos egit, ne rex Galliæ vel ipſe proficiſceretur: vel ullos legatos, ſe inconſulto, eo mitteret: atque hac ratione optimi Imperatoris præclari conatus tunc temporis fraudulenter eluſi fuère. Mox quoque poſt ſceleratiſſimi nebulonis Eugenii arte, ea, cujus meminimus, Alſatiæ vaſtitas illata eſt. Ac, etſi qui hunc tres Pontifices ſubſecuti fuère, eos ita humanitate ſua demulſerit, ut nihil Imperii ſui tempore contra ſe molirentur: majoraque de ſucceſſore ipſorum Pio II, vetere miniſtro ſuo, ſperanda habuerit: is tamen peſtilentiæ cathedra conſcenſa, Friderici agnatum Sigiſmundum, Archiducem Auſtriæ, diris execrationibus devovere, Germaniamque horribilibus bellis

Sylvius de Baſilienſi concilio.

Epiſtola extat in fine Clemangis, & in Faſciculo rerum expetendarum ante aliquot annos Coloniæ impreſſo.

Hiſtoria hæc extat in Antilogia Papæ,

bellis inteſtinis, nulla Imperatoris authoritate habita, involvere non dubitavit. Siquidem cum Sigismundus Nicolaum Cuſanum à Pontifice ad deglubendum Epiſcopatum Brixinenſem in Tyrolim miſſum, poſt longas concertationes, quod ſuæ ditionis homines Romaniſtarum rapacitati exponi nollet, in velitatione equeſtri captum, cuſtodiæ mancipaſſet: Pontifex ob læſam Majeſtatem in ſua creatura acriter commotus, Sigiſmundum graviſſimæ cenſuræ ſubdidit: nec prius ipſum, quantumvis Friderico intercedente ea liberavit, quam Pluto deprecatum veniret: nil regibus, nil populis unquam timore concedens, ut ejus adulatores ſcribunt: ſed inſatiabili pecuniæ cupiditate, quoslibet ei refragantes, Pontificio fulmine acque horribilibus bellis proſequens. Hinc cum mortuo Theodorico Erbachenſe Moguntino Archiepiſcopo, Dietherus Eiſenburgicus in ejus locum ſuffectus, pallium Epiſcopale XX. millibus ſexcentis quinquaginta aureis Rhenenſibus redimere tardaret, quod authoritate Concilii Baſilienſis annatæ damnatæ abolitæque eſſent: Pius graviſſime Diethero indignatus, confirmationem ei denegavit: eamque æmulo ejus Adolpho Naſſavienſi, quod multos haberet amicos & conſanguineos, quorum auxilio poſſeſſionem Eccleſiæ adipiſci poſſet, contulit. Diethero vero viriliter dejectioni ſuæ ſeſe opponente, & cum alios, tum vero Fridericum Palatinum, & Fridericum Brandenburgicum, ac Philippum Catzenelbogicum comitem, in ſuas partes magnis muneribus pertrahente, tanta belli incendia ſunt nata, ut præcipui Ger-

expoſita à Wolfgango Weiſſemburgico.

Vide Paralipomena Urſpergenſ. Munſterum in Coſmograph. Naucler. in ultima gen.

 ma-

maniæ proceres iis impliciti, inſignem rerum ſuarum jacturam fecerint. Marchio ſiquidem Badenſis Carolus, Epiſcopus Metenſis Georgius, & Ulrichus comes Wirtenbergicus, Adolpho Naſſavienſi opitulantes, memorabili prælio cum ſua nobilitate ad Seckenheimium à Friderico Palatino cæſi, capti, & in Heidelbergenſem arcem abducti, nec prius dimiſſi fuêre, quam Badenſis centum, Metenſis quadragintaquinque, Wirtembergicus quoque centum millia florenorum ſolverent: aliaque jura, cuilibet ſummæ fere paria, Palatino vel cederent, vel remitterent. Hanc ſuæ factionis procerum cladem, Pius ut vipera læſa graviſſime tulit: ac literis querulis de calamitate ſociorum, ad Philippum Burgundiæ ducem, tam prudentia quam armis eo tempore florentem, ſcriptis, eum poſt cohortationem ad auxilia Adolpho ferenda contra Palatinum, Dietherum & Comitem de Catzenelbogen, illiſque adhærentes, belli ducem conſtituit. Ipſo vero, vel pro prudentia ſua, qua eximia præditus fuit, hanc belli molem detrectante, vel voluntate Pontificis diutius cunctante: Moguntia à Ludovico Nigro Palatino, ac Comite Veldenſi, aliiſque proceribus partium Adolphi, proditione duorum civium, ſcalis noctu muris admotis occupata, direpta, incenſa, ac quingentis civibus occiſis, in perpetuam ſervitutem redacta, totaque nobiliſſima diœceſis ita afflicta eſt, ut ea hodierno die adhuc compluribus ejus oppidis, villis ac pagis, partim alienatis, partim graviſſime oppignoratis, belli iſtius calamitates ſentiat. En pium Pii Pontificis factum! qui, ut

ut Germaniam pecunia contra jus ac ſas omne emungeret, horridis bellis excitatis, ejus proceres commiſit, eosque in extremas anguſtias conjecit. Ut vero hic Impius II. in principes: ſic qui ei ſucceſſit Paulus II. Venetus, atrociora in ipſum Imperatorem attentavit. Nam cum Conſtantinopoli capta, ſecundo Fridericus Romam proficiſceretur, ut cum Pontifice Paulo II. de expeditione in Turcas ſuſcipienda deliberaret, eumque ad excitandos Principes, qui multis jam cladibus animos abjecerant, ſecum in Germaniam adduceret: Pontifex poſthabitis Cæſareis poſtulatis, ſub ſpecie humanitatis, vitæ ipſius perfide inſidias ſtruxit. Quibus ille prudenter declinatis, & improbitate pontificia cognita, poſtea legatis Innocentii, ab Eccleſiaſticis perſonis decimas per totam Germaniam poſtulantibus, Norimbergæ in publicis comitiis ſeſe fortiter oppoſuit: ita ut inanes, ut venerant, Romam quoque reverterentur harpyiæ. Quis quæſo tam cerebri vacuus, tam prudentiæ expers futurus eſſet, ut ſe perfidiſſimo hominum generi crederet: cum tam præſtantes Imperatores, Reges & Principes, ejus inſidias evadere non potuiſſe perſpiciat?

Hubertus Goltz, & Hutenus.

Mutius lib. 29.

MAXIMILIANUS I.

POſt mortem Friderici, Maximilianus Imperio, cujus conſors legitimo Electorum ſuffragio patre vivente deſignatus erat, aſſumpto, infulas illas ſolennes Cæſarum, cum facile poſſet, ſuſcipere non laboravit, quod princeps rerum peritiſſimus, eorum quæ ſuperioribus

Impe-

Imperatoribus fulgore coronæ Romam pellectis accidiſſent, haud dubie recordaretur, & Pontifices capitales Cæſarum hoſtes fugiendos eſſe ſtatueret. Veruntamen ſæpius fraudi ſceleratiſſimorum Pontificum, ſinceritas optimi Imperatoris ſubjecta eſt. Nam initio Alexander ille VI, luxurioſiſſimus & avariſſimus tyrannus, qui Zizymum Turcarum regem à fratre Bajazete pulſum, cum perpetuo Chriſtiani nominis opprobrio, ingenti pecuniæ ſumma uno die vivum & mortuum vendidit: pari pecuniæ cupiditate raptum Annæ Britannicæ, quæ ritu regio Maximiliano deſponſata erat, pecunia à Gallo accepta approbavit: matrimonio, quod inter Maxmiliani filiam Margaritam, Carolumque Gallorum regem contractum erat, nefaria diſſipatione ſoluto, & invito ac contradicente Imperatore: per Raymundum Cardinalem Germaniæ provincias præcipuas novis & inauditis expilationibus vexavit: cum immenſa Apoſtolicarum clavium poteſtate indulta ejus ſe in mortuorum ante multos annos animas extenderent.

Nauclerus gener. 50. Mutius lib. 29. Cuſpinianus in vita Maximiliani, & Zelymi Othomanni.

Mutius lib. 30.

Ab eo ut nomine, ſic quoque ordine ſecundus Julius, tantis perfidiæ tendiculis Maximilianum circumduxit, quantis Pontificum quiſquam ullum Imperatorum. Nam cum ad bellum Venetum omnium maximum, graviſſimumque, inclytum heroem impuliſſet, ac is Venetos Pontificiæ ſedi rebelles, captis eorum præſtantiſſimis urbibus ad ſummam neceſſitatem adegiſſet: Julius, contra fidem Imperatori, coram ordinibus Imperii Auguſtæ ſanctiſſime datam, ac omnes publicæ honeſtatis rationes, non

Hubertus Goltz. Paralipom. Urſperg.

non tantum Venetos pacem petentes in gratiam recepit: ſed & percuſſo cum ipſis fœdere, exercitum ſuum adverſus Cæſarem, iniquiſſimus perfidiſſimusque bellator eduxit, cum ea voce quæ ipſum non tam Petri, quam peſſimi & impiiſſimi latronis ſucceſſorem fuiſſe, liquidiſſime teſtaretur. Siquidem (ut memoriæ proditum eſt) cum exercitu urbem egrediens, Petri clavem in Tyberim furibundus projecit, hiſce verbis: *Arnoldus Feronius.* Quia clavis Sancti Petri non amplius valet, valeat gladius Sancti Pauli. Hoc facto, ſe ſuosque ſucceſſores poteſtate clavium Petro conceſſa, ſcelerata dementia privans, jusque ſuum omne Tyberino flumini cedens. Non itaque minus vere, quam eleganter, quidam in gladium hunc Julii hoc carmine luſit:

Ille ſui longo ſucceſſor in ordine Petri,
More novo tantas res agit, & ſtudio.
Nam neque pro populis orat, pacique relictus,
Quod faceret Petrus, ſacra fidemque docet:
Verum bella movet, gerit arma, & ſanguine gaudet:
Nimirum Paulum prætulit ille Petro.
Paulus habet gladium, ſed non fecit: occidit ille,
At malus hic multis intulit exitium.
Dira venenato ſoboles, latro prodite partu,
Hac Chriſtum, hac ſequeris conditione Petrum?

Verum hanc Pontificis inauditam perfidiam, *Hubertus Goltz.* cum pari impietate conjunctam, optimus maximus Deus, juſtiſſimus ſcelerum vindex, non *Mutius lib. 30.* diu

Paralip. Urſperg.

diu impunitam dimiſit. Cum etenim rex Gallorum Ludovicus, Cæſari ex formula fœderis opem ferens, Pontificem Venetorum præſidio elatum, omnesque pacis conditiones reſpuentem proſequeretur, prælio ipſo die Paſchatos prope Ravennam commiſſo, tanta eum clade affecit, ut pacem quam ante recuſaverat, ultro expeteret: experireturque, Pontifici non tam gladio, quam clave Petri belligerandum eſſe.

Ut vero non diu poſt hanc cladem, aliasque cædes innumeras, è rebus humanis exemptus, ſucceſſorem in Pontificatu Leonem X, ſic quoque eundem æmulum Pontificiæ perfidiæ habuit. Siquidem cum ab initio Pontificatus, à Gallo alienior, Maximiliani Cæſaris & Sfortiæ Mediolanenſium ducis amicitiæ, contra Gallos tunc Mediolano imminentes, ſtuduiſſet: mox à Franciſco Gallorum rege, Helvetiis ad Marignanum cæſis, & Maximiliano Sfortia in poteſtatem redacto, ad regem Gallorum Franciſcum, fœdere Cæſareo violato, venit: ac cum datum ei eſſet, ut pragmatica ſanctio, novis conventionibus in ejus locum ſubſtitutis, in Gallia aboleretur, fœdera cum Franciſco ſanxit, eique Imperii Conſtantinopolitani infulas contulit. An ne hic magis Pontificis de alieno largientis liberalitas, vel perfidia in Imperatorem laudatiſſimum Maximilianum miranda erit? Fertur vulgo Maximilianus, cum à Leone (neſcio in hac re, vel alia) deceptus fuiſſet, dixiſſe Germanice: Jam ſe vere affirmare poſſe, quod nullus Paparum ſibi fidem ſervaverit: atque Leonem, ultimum futurum cui confideret: idque ut dictum, ſic quoque ſervatum

Arnoldus Feronius in vita Franciſci Valeſii.

Catalogus teſtium veritatis.

vatum ab ipſo, rei eventus docuit. Nam paucis poſt annis in profluvium ventris incidens, Spiritum Deo reddidit, anno humanæ Salutis milleſimo quingenteſimo decimo nono: futurum fuiſſe, ut qui toties perverſiſſimis Pontificum ſtrophis eluſus eſſet, de ipſis evertendis pia conſilia, in tanta religionis mutatione initurus, atque ad exitum deducturus fuiſſet. Verum præmatura morte abreptus, quæ voluiſſet, Caroli ſucceſſoris, atque ex filio Philippo nepotis potentiæ reliquit.

CAROLUS V.

QUis vero Pontificum perfidiam, in Carolum ter maximum Imperatorem uſurpatam, ea qua par eſſet, oratione commemoret? Quis non, in tanta religionis mutatione, quanta poſt Apoſtolorum ætatem non accidit, clementiam Pontificum in exagitando Imperatore cum feliciſſimorum, potentiſſimo admiretur? Quis ſtudio Imperatoris in ſede Pontificia tuenda fulciendaque cognito, ingratitudinem perditiſſimorum hominum non execretur?

Nam, cum ab obitu Maximiliani, Electoribus pro eligendo novo Imperatore Francofurti congregatis, Carolus & Franciſcus rex Galliæ Imperii dignitatem ambirent: Leo decimus amicitia cum Franciſco firmata, eum magnis innixum largitionibus, innata quadam Pontificibus improbitate, contra Carolum fovit & adjuvit, cum quod hujus, ampliſſimorum regnorum hæreditate locupletati, potentiam vehemen-

Jovius lib. 4. de vita Leonis decimi.

hementiſſime formidaret: tum quoque Carolum antiqui Vatis cujusdam carminibus, non obſcuris formæ ac ingenii lineamentis deſignari conjiceret, per eum, qui à Septentrione toti Italiæ, Romæque præſertim, ſummas clades eſſet illaturus: hoc interim literis ad Electores ſcriptis aſtutiſſime prætendens, Carolo ad honorem Imperii aſpirare non licere, quod reges Neapolitani, Pontificis Romani beneficiarii ſint, & fide data jam olim cum Pontificibus pepigerint, ſe Romanum Imperium non appetituros, ſed alterutro contentos fore. Cæterum integritate Friderici Saxoniæ ducis, & fide ejusdem erga Maximilianum, cui toto vitæ tempore deditiſſimus fuiſſet, Imperio ad Carolum translato, Leo vulpina arte fortunam ſequutus, Gallo ad tempus favere deſiit: Carolo, quem gratia ſuperare videbat, ſuffragatoribus commendato. At cum hic conſenſum ejus in electione requireret, cum ea diſpenſatione, ut ſibi cum Imperio regnum Neapolitanum retinere liceret, lege inveſtituræ minime refragante: tunc Pontifex ad ingenium reverſus, de novis viis, quibus Caroli authoritatem deprimeret, cogitavit. Nam literis & nunciis per Germaniam miſſis, id egit, ut Caroli coronatio apud Aquisgranum, & conventus Wormatiæ indictus, retardarentur. Cumque eluſis conatibus ſuis, virtutem Electorum (qui nec vi, nec metu, nec ullis artibus à ſuo decreto dimoveri potuerunt) majorem Pontificia improbitate cerneret, fœdus iterato cum Gallo iniit: inter alia id agens, ut utriusque Siciliæ regna Carolo adimerentur: & Italico Impe-

Sleidanus lib. 1.

Appendix ad Platinam. Sleidanus ubi ſupra.

Reſponſio Cæſaris ad breve Apoſtolicum.

Imperio ſubverſo, protectiones civitatum Italiæ inter ſedem Pontificiam Gallumque dividerentur. Tamdiu vero in hoc fœdere conſtans perſtitit, quoad id è re ſua eſſe, atque ſedi Romanæ expedire vidit. Cum etenim Franciſcus rex fœdere Pontificio fretus, violato eo quod cum Carolo ante percuſſerat, Robertum de Marchia Caroli rebellem, ad Belgicum turbandum ſubmiſiſſet: Gallique duces & milites in Italia agentes, urbem Rhegium ſedi Pontificiæ clanculum adimere conati fuiſſent: Leo Gallorum potentiam horreſcens, ac de ipſorum fide hæſitans, quo ſuam dignitatem tueretur, & Romanæ Eccleſiæ per Gallos adempta recuperaret, tertio ad partes Cæſareanas tranſit, id à Cæſare perbenigne ipſum in fœdus recipiente impetrans, ut Parma & Placentia ſedi Romanæ reſtitutis, & Franciſco Sfortia in ducatum Mediolanenſem reducto, Gallisque ex Italia pulſis, ſedes Romana in tuto collocata, omni Gallorum metu liberaretur. Paulo vero poſt Leone febri mortuo, Pontificia rabies in Carolum ſucceſſione Hadriani ſexti Pontificis Germani aliquanto ſubſedit. Hic etenim ſui perbrevis Pontificatus tempore in Caroli amicitia, ut bonus præceptor conſtanter perſiſtens, eum adverſus Gallos pecuniis exercituque juvit: & præter Florentinos, Senenſes, Lucenſes, aliosque regulos Italiæ, ſedem quoque Romanam, Heinricum Angliæ, & Ludovicum Hungariæ, reges fœdere ei junxit. Verum Hadriano, anno Pontificatus ſui ſecundo, non ſine veneni dati ſuſpicione extincto, fatalis Pontificum rabies

Gerardus Moringus in vita Hadriani ſexti. Jovius in vita ejuſdem.

rabies tanto vehementius prorupit, quanto interea temporis plus virium collegerat.

Feronius in vita regis Franciſci.

Julius namque Medices, qui poſtea Clemens ſeptimus vocari voluit, Hadriano poſt varias diſceptationes ſuffectus, cum ante Pontificatum maximis à Carolo beneficiis affectus fuiſſet, aureorum decem millium penſionem annuam ex proventibus Eccleſiæ Toletanæ conſecutus: & in tantam Pontificis Hadriani gratiam, unde exciderat, repoſitus, ut nihil in rebus quæ alicujus momenti cenſerentur, ab Hadriano tentaretur: mox Pontificatu inito, contra Carolum fœdera fœderibus accumulans, beneficia accepta peſſimis maleficiis rependit.

Reſponſio Cæſaris ad breve Apoſtolicum.

Feronius.

Siquidem Franciſco Rege Galliæ, poſt Mediolani occupationem arma per Lombardiam circumferente, Clemens fœdere Hadrianico, cujus ante meminimus, dirempto, pecuniam quam Florentini, Senenſes atque Lucenſes, ex formula ejus Carolo mittere ſtatuiſſent, ſolvi vetuit: & per Albertum Pium Carporum principem fœdus clandeſtinum cum Franciſco rege iniit: hoc interim apud Cæſarianos duces ſubdole agens, ut ſub ſpecie ſequeſtri & depoſiti Mediolanenſem agrum ad ſe transferret. Hoc vero non ſuccedente, ſed fortuna ita commutata, ut Franciſcus glorioſa memorabilique victoria ad Ticinum captus, in Hiſpanias ad Cæſarem abduceretur: tunc mira inconſtantia ac levitate, Cæſareanis ducibus magnam pecuniæ vim in ſtipendia dependit. Interea tamen cum vereretur, ne Cæſar occupato Mediolana, quod eſſet reliquum Italiæ invaderet, cum Ludovici Francica regis matre, Heinrico Britanniæ rege,

Sleidanus lib. 4.

Feronius in vita Franciſci. Jovius lib. 7. de vita Ferdinandi Davali.

ge, Venetis, aliisque quibusdam de rege liberando, Cæſareque Italia pellendo, conſiliis initis: Ferdinandum Davalum, ampliſſimæ authoritatis atque peritiæ virum, inter duces Cæſarianos in ſuam factionem, oblato regni Neapolitani titulo, perducere tentavit. At eo, cum ſagaci contectoque ingenio hoſtium conſilia viresque exploraſſet, cuncta Cæſari patefaciente, hic Pontificis perfidiam riſit: qui cum totius conjurationis architectus eſſet, ſe tamen admonuiſſet, ut rebus ſuis, ſibique caveret, ac de ducibus ſuis ſibi fidelius devinciendis cogitaret.

Sic ergo à Davalo eluſus, alia via rem aggrediendam ſtatuit. Quare Franciſco rege interea à Carolo dimiſſo, & à fœderis Madritiani conditionibus reſiliente, cum ipſo, à jurisjurandi vinculo, quo Cæſari tenebatur, authoritate Apoſtolica ſoluto, aliiſque nonnullis, novum fœdus ſancit: idque Ligam ſanctiſſimam appellat, *Feronius.* veluti natam eo authore, quem orbis Sanctiſſimi nomine ſalutat. Inter alia hoc quoque ejus capitulis adjiciens, poſſe Cæſarem participem ejus fœderis fieri, ſi prius liberos Regios, qui obſides pro patre in Hiſpaniis ſervabantur, æquo pretio redemptionis ſoluto reddiderit, Mediolanumque Sfortiæ: neque Italiam adeat ad infulas Imperii accipiendas, niſi eo comitatu, qui arbitrio relinqueretur Pontificis & Venetorum.

Quis vero æquus rerum æſtimator, conſiderans à quibus id fœdus initium habuerit, & quo potiſſimum tempore, quibusque occaſionibus ſancitum ſit, non judicabit, eo non pa-

ci ac tranquillitati publicæ conſultum, ſed acerbiſſimis odiis, bellisque ſæviſſimis materiam ſuppeditatam fuiſſe?

Pacis ſiquidem leges, conditionesque Carolo Principi ter maximo à Sfortia Mediolanenſi ſuo beneficiario præſcriptæ, fides à Gallorum rege debite legitimeque data, ei uno brevi Apoſtolico remiſſa eſt. Cæſar liberos Franciſci regis obſides, juſſus eſt reddere: quaſi non ſatis fuiſſet, ſe ſemel eluſum fuiſſe. Juſſus Italorum potentatuum tyrannidem non perferre modo, ſed & tueri: Juſſus Italiæ ingreſſu abſtinere, in eam familiam adduceret, quæ Pontifici & Venetis apta conveniensque videretur: Juſſus, Majeſtatis accuſatis, noxam omnem remittere: id ni faceret, bellum ei terra marique ſuſtinendum.

Quid itaque in tanta conditionum iniquitate Carolo aliud faciundum fuit, niſi ut bonitate cauſæ juſtitiaque fretus, abominabiles conditiones tanta conſtantia rejiceret, quanta ſuperbia ſibi proponerentur: hac fiducia, plus ſpei in innocentia, quam multis triremibus, equitibusque repoſitum eſſe?

Et ſane, Deus omnium actionum æquiſſimus judex, ita juſtitiæ ſuæ executionem eſt moderatus, ut quas architectus omnium malorum conſiliorum Pontifex in Cæſaris caput conceperat technas: his ipſe, qui belli ſpectator tantum eſſe cupiebat, divino admirandoque conſilio caperetur. Nam cum Cæſar ad tantæ conjurationis famam Burbonium atque Fronſpergium, toties jam ducum munere in proximis bellis ſumma cum laude functos, in Italiam cum

Sleidanus libro 6.

cum exercitu miſiſſet, ut Neapolim, quæ haſtæ, ſectionique ex formula fœderis ſubjecta erat, defenderent: hi, dum Florentiam, cum pace diuturna & cive ſummo Pontifice, tum novo fœdere elatam, petere ſe ſimulant, per montes & loca confragoſa profecti, Romam Maji die ſexto oppugnatione hoſtili cœperunt: & Clementem, qui in Adriani molem (diris Pontificiis quos in Germanos atque Hiſpanos conjecerat, nihil proficientibus) ſeceſſerat, urgente rerum inopia ad deditionem compulêre, tanta inſolentia & atrocitate in Romanos ſævientes, quanta verbis explicari non poteſt. *Feronius ubi ſupra.*

Nam præter horrendas lanienas, direptiones, libidines, devaſtationes, contumeliæ ac ludibrii genus nullum in Pontificem ac Cardinales prætermiſſum fuit, omnibus ſine diſcrimine cum ad captivitatem, tum ſæviſſimam torturam abductis: ſæpius etiam his qui ſe pecunia redemiſſent, iterum in captivitatem ab aliis tractis. Cæſar quidem literis cum ad Pontificem, tum Angliæ regem ſcriptis liquido teſtatus eſt, id injuſſu ſuo factum: nec ſe milites eos pro ſuis agniturum, qui tantum nefas auſi fuiſſent: juſto tamen Dei judicio, qui vim & injuriam ſibi factam ſit ultus, id adſcribere minime dubitavit. Pontifex autem captivitate liberatus, & ſi verbis amicum ſe Cæſari ſimularet, infenſiſſima tamen quæque contra ipſum moliri non deſtitit.

Nam ſive ſpe regni Neapolitani, prout in fœdere convenerat, occupandi, ſive vindictæ cupiditate, apud Gallum effecit, ut is bello renovato, Lautreco in Italiam cum exercitu jam miſſo, *Arnoldus Feronius in vita Franciſci.*

miſſo expeditionem Neapolitanam imperarit. At ea hunc eventum ſortiente, ut Lautrecus peſte in exercitu graſſante, re infecta fato concederet: & rex pecunia exhauſtus, amore liberorum, qui in Hiſpaniis adhuc obſides erant, pacis conditiones oblatas facile acceptaret: Pontifex, qui ſemper ſcenæ ac tempori ſervire conſueviſſet, pace inter Cæſarem & Gallum aliosque reges Cameraci ſancita, Carolum diademate Imperiali Bononiæ donat, ejusque auxiliis Florentiam obſeſſam in ſuam poteſtatem redigit, civibus Florentinis inclementiſſime punitis: dignam mercedem Carolo redditurus, ſi longior ei vita contigiſſet.

Tilius in Chronologia.

Vix etenim tribus annis ab hoc elapſis, cum Maſſiliæ nova fœdera de Mediolano Cæſari eripiendo, & Sabaudiæ ducatu occupando, cum Gallorum rege Franciſco iniiſſet: hujus filio Heinrico nepte Catharina deſponſata, magno totius reipublicæ commodo, non ſine veneni dati ſuſpicione extinguitur. Quæ major perfidia hac Clementis inveniretur? qui quoties eum Carolus in fœderis ſocietatem recepit, toties fœdiſſime ex ſocio hoſtis evaſit? Extat de hac ejus perfidia, Epiſtola ad Carolum Cæſarem carmine ſcripta, à Germano Eleutheroſtomo: quam, quia tunc temporis eſt edita, & quia huic propoſito convenit, aſcribere libuit.

DE

DE PERFIDA ROMANI Pontificis Epiſtola, ad Carolum Cæſarem: authore Germano Eleutheroſtomo.

NUnquid adhuc dubitas terrarum maxime Cæſar,
Pontificem ſanctum ſcilicet eſſe virum,
Cui ſint ſolvendi pariter, commiſſa ligandi
Jura, & concluſi janua firma Poli:
Cuique ſit humanæ concredita ſumma ſalutis,
Cœlorum claves cui Deus ipſe dedit?
Noſti? an diſſimulas tantæ perjuria linguæ?
Mirum eſt, ſi ſcelus hoc diſſimulare potes.
Sed quæ tanta piæ poterit patientia mentis,
Hoc adeo infandum diſſimulare nefas?
Clemens, quem fecit ſuperûm inclementia Puppam,
Cum Gallo junxit fœdera facta duce.
Cum Gallis junxit Clemens ſocia arma ſuperbis,
Perfidus Imperii proditor ille tui.
Quæ nunquam Cæſar voluiſti credere nobis,
Cogeris hæc tandem credere vera videns.
Pontifici ne quid Romano fidere Cæſar
Suſtineas: mendax, diximus, eſſe ſolet.
Perfidior Pœnis Latius ſolet eſſe ſacerdos,
Et levibus Gallis vanior eſſe ſolet:
Ut quem nulla datæ conſtringant fœdera dextræ,
Quique colat nulla relligione fidem.
Auribus iſta tuis ſæpe inculcavimus: at te
Tum perſuadebant talia verba parum.
Utpote cui nondum mens improba nota doloſæ
Vulpis, erat fraudis plena, referta mali.
Obſtabat ſancti ſpecies, & hypocriſis effrons,
Quo minus hunc poteras Carole noſſe lupum.
Sumpticii obſtabant tituli, ſimulataque verba,
Quo minus hanc poteras cernere perfidiam:

Perfidiam, qualem jurato Cæſar ab hoſte
Nunquam ſperaſſes poſſe venire tibi.
Qualem Pontificis fidum ſimulantis amicum
Objecit Latii vana reperta fides.
Obſtabant alii, quorum tibi perfida lingua
Clementem falſò pinxerat eſſe probum.
Sed quæ nunc animo ſupereſt ſententia Cæſar,
Poſtquam decepto ſunt data verba tibi?
Dumque patent liquido fraudis commenta maligna,
Dum patet inſtructi peſſima techna doli:
Et cum perjuri pateant ſtratagemata Pœni,
Et mala verſutæ retia perfidiæ.
An iterum Latiæ reparato fœdere Puppæ,
Decreſti certam Cæſar habere fidem?
Improba blandiloquæ cujus mendacia linguæ
Jam tibi tam miris impoſuêre modis.
Sit ſatis ô Cæſar falſum ſemel eſſe doloſe,
Et ſemel amiſſam ſit ſatis eſſe fidem.
An iterum in laqueum à Clemente inducier optas,
Ut prius? & tonſa ludibrium eſſe coma?
Perfidus Imperio ſi te potuiſſet avito
Exuere, & regnis te ſpoliare tuis,
Atque hæc ad Gallum quiſſet transferre ſuperbum,
Captivus Cæſar jam traherere miſer.
Hoſtibus impoſtor ſceptris te Cæſar ademptis
Feciſſet prædam perfidus ille tuis.
Carole jam ſpoliis Gallus geſtiret opimis,
Si res, ut Clemens ſtruxerat, acta foret.
Hinc ſtuduit ſemper fidum mentitus amicum,
Ut falſo ſanctam fingeret ore fidem.
Quo melius Gallo te incautum proderet hoſti.
Tunc ubi prodendi copia nata foret.
Indicio eſt hujus, quod nulla injuria Cæſar
Juſſerit hunc partis linquere caſtra tuæ.

At

At ſola improbitas animi, ſtudiumque nocendi
Gallica Clementem compulit arma ſequi.
Aut dicat Clemens: Si vult Sanctiſſimus eſſe,
Nec vult perfidiæ dicier eſſe reus,
Quanam cauſſa fuit? quæ tanta injuria? qua ſit
Linquere compulſus Cæſaris arma boni?
Hæc niſi jam fuerit cauſſis adducta probatis,
Conſtat te profugum SANCTE *fuiſſe levem.*
Heus ubi palpo ſenex, ſoboles præclara Gnatonis,
Quin tua nunc aperis ora diſerta colax?
Fac ut perniciosa tuæ aſſentatio linguæ
Pontificem tantis vendicet à vitiis.
Egregium audebas medicum affirmare futurum:
Dic mihi, nonne tui te pudet, atque piget?
Eſtne, quod dicis, Clemens Sanctiſſimus? unde has
Sanctus habet labes perditus ergo nigras?
Proditor, impoſtor, perjurus, perfidus, aut hunc
Eſt Romæ ſanctum forſitan eſſe virum?
Hoc aluit monſtrum Clemens Sanctiſſimus: hoc te
Opprimere incautum ſpes ſua, Cæſar, erat.
Sed bene conſuluit ſceleris gravis ultor iniqui,
Omnipotens rebus pronior ipſe tuis.
Quandoquidem Gallus campo comprenſus aperto,
Incidit in caſſes præda petita tuos.
Parta eſt de magno inſignis victoria Gallo,
Et ſunt victrici fixa tropæa manu.
Eſt inquam elati dejecta ſuperbia Galli,
Contrahe nunc criſtas Galle ſuperbe tuas.
Nunc ſupereſt, ut in hanc foveam quam fecerat hoſtis,
Non læſus Clemens perfidus ipſe ruat.
An tantum patière nephas hunc Cæſar inultum
Ferre? nec audaci præmia digna dabis?

 Ne

Ne facias, Cæſar? meruit graviora ſuperbis
Gallis, illi hoſtes, hic ſed amicus erat.
Juris erat belli, quod Gallus ſumpſerit arma:
Perfidiæ, Clemens quod capit arma, fuit.
Perfidiæ pœnam juſtum eſt hunc pendere dignam,
Cæſaris ut diſcant ſceptra timere mali.
Propterea eſt gladii tibi tradita ſumma poteſtas
Cæſar, & à magno regia ſceptra Deo:
Ut tua compeſcat graviter reverentia pravos,
Submotisque malis ut tueare bonos.
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos,
Hoc magni eſt proprium Cæſaris officium.
Hoc impune ferens, quid non audebit? apertis
Rebitur inſidiis cuncta licere ſibi.
Quo non evadet conceſſa licentia tandem,
Si non innocue crimina tanta feret?
Effera quid rabies tentare verebitur, hoc te
Si tulit impune diſſimulante ſcelus.
Carole, ne facias ut tanta potentia ſceptri,
Ludibrio Roma ſit violanda tui.
Pone modum ſceleris, veſano obſiſte furori,
Pontificis rabiem comprime quæſo gravem.
Tandem intentatæ capiat fac præmia fraudis,
Atque luat meriti tormina ſupplicii.
Et factum graviter tibi fucum ulciſcere tandem:
Non facis hoc majus jam pietatis opus.
Sic plebem Chriſti, quæ ſævo oppreſſa tyranno eſt,
Eripies, Cæſar te ſimul ultus eris.
Hic te non moveat ratio pietatis habendæ,
Ipſa jubet pietas perdere ſacrilegos.
Hinc nihil eſt ſanum, nihil eſt ſanctum atque verendum:
Cui ſit parcendum, cernis adeſſe nihil.

Hic

Hic mera colluvies fraudisque, & lerna malorum,
Sunt etiam hic vitiis æquora plena malis.
Ille colit Romam, quo toti illuditur orbi,
Omnis qui ſemel eſt impietatis homo.
Impius Auſonia dominatur ab urbe ſacerdos,
Qui ſemel eſt omnis perditionis apex.
Ut qui ſceptrigeros excuſſo fœdere reges
Committit, belli claſſica dira canens.
Cujus Pontificum ſunt multa exempla priorum,
Quæ bene vix magnis ſunt memoranda libris.
Conſtat enim furiarum inſtar diſcordibus armis
Hos turbaſſe piis ſæpe prophana ſacris.
Nec tibi ſit ſoli hæc injuria Carole, nunquam
Servat promiſſam perfida Roma fidem:
Sed quæ quisque tulit ſcelera, hæc tibi vindice dextra,
Carole ſunt pœna corripienda gravi.
Obſtrue Romanam populantem cuncta charybdim,
Reges, & populos, oppida, regna, duces.
Obſtrue tartareum, quod Roma eſt, magne barathrum
Pone modum immenſæ Cæſar avaritiæ.
Quid non exuxit? quid non ſpoliavit avara
Urbis fraus, aſtus, machina, techna, dolus?
Dic, ubi per totum reſtat miſer angulus orbem,
Qui potuit fauces Roma cavere tuas?
Jam certe tellus raptis Germana medullis,
Pene etiam pelle eſt diſpoliata ſua.
Utpote Romulidûm quæ longo paſſa rapinam
Tempore, nutrivit guttura vaſta Papæ.
Vendiderat pretio quæ ſunt terraque marique,
Vendiderat manes, vendiderat ſuperos.
Chriſtum venalem, cœlum venale ferebat,
Peccandi pretio libera jura dabat.

Quippe

Quippe ſibi in ſuperos, terras & tartara, ſummum
Jus tribuens, voluit ſubdita cuncta ſibi.
Quin etiam Chriſto medios oſtenderat ungues,
Dum quæ decrerat, irrita quæque facit.
Credere per diras commenta humana jubemur,
Divinis non eſt legibus ullus honor.
Namque Deum ſeſe ſceleratus homuncio cunctis
Oſtentans, Chriſto par cupit eſſe Deo.
Depoſcitque coli vice numinis impius ille,
Cum Chriſto ſimili vult quoque laude vehi.
Regibus imponit tam belua fœda coronas,
Accipiuntque ſui baſia mille pedes.
Dum prodire libet, portatur beſtia, Chriſtus
Confecit longum ſæpe viator iter.
Scilicet in Chriſto pater eſt Sanctiſſimus ille,
Qui quæ ſunt belli curat, adornat, obit?
Qui ſpargit lites, & pugnis cuncta cruentis
Temperat, & Reges ſeditione juvat.
Fare age, dic heus, dic inclementiſſime Clemens,
Fecerat hæc Chriſtus? fecerat iſta Petrus?
Nam illius vice, vis hujus ſucceſſor haberi,
Belua & in ſancto ſpurca ſedere loco.
Te ſucceſſorem ne audebis dicere Petri
Eſſe? & te Chriſti dicis habere vicem?
Abſterſiſti omnem meretrice à fronte pudorem,
O canis, ingenuæ nil tibi frontis ineſt.
Tu vis Petrinæ cenſeri nauta carinæ?
Quanquam perficias munera nulla Petri.
Succeſti Judæ potius, qui vendere Chriſtum
Sueverat, & loculos geſſerat ære graves.
Quandoquidem Chriſtum dum vendere ſæpius audes,
Congeſti cunctas totius orbis opes.

Hoc

Hoc melior Scariotha foro ſemel uſus iniquo,
Non dubitat pretium pendere morte malum.
O utinam Judæ exemplum quoque Puppa ſequutus,
Suſpenſus raptas reddere vellet opes.
Cum ſis omnigeni juris perverſor & æqui,
Et faciles es cuncti fons & origo mali.
Et qui nobiscum fictis agit omnia verbis,
Quærens ex noſtris commoda certa malis.
Quî fit, ut Petri hoc titulo ſucceſſor haberi,
Atque locum Chriſti ſolus habere cupis?
Quantum reſpondet clara nox atra diei,
Tam tua reſpondet perdita vita Petro.
Mobile quantam ima cœlum tellure remotum eſt,
Tam procul à Chriſto Pſychotyranne manes.
Quod-ſi paſtoris decreras munere fungi,
Eſſe nec horrendis par feritate lupis:
Ducere debebas ad paſcua ſueta miſellas,
Et verbo Chriſti paſcere ſemper oves.
Non devaſtare, & raptos ab ovilibus agnos
Perdere, ſed trepido mitis adeſſe gregi.
Comiter errantes monitis ſuperare benignis,
Qualia ſunt literis plurima docta ſacris.
Debebas furem, à ſeptis arcere latrones:
Nunc præ te nullus creditur eſſe latro.
Omnibus innocuus, debebas nemine læſo,
Ut Chriſtus, cunctis utilis eſſe parens:
Inter diſcordes placidæ componere pacis
Fœdus, & iratos conciliaro duces:
Nullius inſanum flammis augere furorem,
Nec magis ardentes extimulare faces.
Nunc tibi non ſtudio eſt motos ſedare tumultus,
Sed laceras rupta fœdera pace ferox.
Te quoque flammivomos oleo nutrire caminos,
Et juvat inſanis addere calcar equis.

In ſumma, humanis es fax ipſiſſima rebus:
Unde nocens terris peſtis, & unde lues.
Officii fuerat, neutri te jungere parti,
Rem tamen arbitrio compoſuiſſe tuo.
At fuit hoc ſtudium cunctis commune Papiſtis,
Romanos ſolida ludere fraude duces.
Et tu (ſis quanquam dubio patre) ſanguinis hujus,
Non potes à patribus degenerare tuis.
I nunc, dic blande dilecte, ô Carole fili,
Si tuus eſt natus, ſpurius alter erit.
Tu nam connubii condemnas jura beati,
Unde ergo nati ſpurce cynæde tibi?
Ne nos quæſo tuos dicas ſpurciſſime natos,
Corpore es haud noſter, ſed neque mente parens.
Eſt pater in ſummo, quem nos veneramur, Olympo,
Ille ſuos jugi ſedulitate fovet:
Hinc tibi Apoſtolicam ſerva privigne ſalutem,
Quam nobis Latia mittis ab urbe frequens.
Quin etiam affectus ſimulata mente paternos,
Poſthac ſervato ſæve tyranne domi.
Jam ſatis eluſa eſt plumbatis Teutona bullis
Terra, ſubolfecit ludificata dolos.
Quæ prius immodico fuerat Germania lucro
Ebria: nunc damno eſt ſobria, Roma, tuo.
Hoc tu deploras inclementiſſime Clemens,
Hoc te angit, mordet, vellicat, urit, agit.
Hinc ulciſcendi meliorem cernere cauſſam
Non poteras, quam ſi Celtica caſtra juves.
Quanquam fictitiis nunc perfide fingere ſcriptis
Adproperas aliud ſtans, aliudque ſedens.
Sed tua te modicum mendacia ficta juvabunt,
Si dux officii vult memor eſſe ſui.
At memor eſſe velis, precibus te poſcimus omnes
Carole, fac pœnam te duce Puppa luat.

Si te nulla movet tantarum injuria fraudum,
At ſaltem populi commiſerere tui.
Cogitur hic Latio miſere ſervire tyranno,
Legibus oppreſſa eſt libera turba feris.
Fert Chriſti indignum adflicta Eccleſia regnum,
Fert etiam durum debilitata jugum.
Mitius immitem ſenſit Judæa Pharonem,
Dum tulit immenſi pondera ſervitii.
Huic deglubendos quam longo tempore Cæſar,
Tandem permittes Carole magne tuos?
Qui tibi non dubitat verbis obtrudere palpum,
Ille ruit Cæſar in tua jura ferox.
Ecce tuos populos damnoſa legibus amens
Oppreſſit regni proditor ille tui.
Te ſimul Imperio voluit nudare: ferenda
Iſta putas? non ſunt iſta ferenda tibi.
Qui ſtruit inſidias, & fidum fingit amicum,
Eſt equidem hic hoſtis terque quaterque nocens.
Peſſimus eſt igitur Clemens etiam hoſtis habendus,
Quod pariter nobis hoſtis amicus erat.
Ne te mellito lethalia mulſa loquela
Poſthac decipiant, Carole magne, cave.
Si non Romanam cupis hic perdiſcere fraudem,
Hanc Cæſar nunquam diſcere velle cupis.
Vos quoque Germanæ proceres exurgite terræ,
Hactenus illuſit beſtia ſpurca quibus:
Quorum præſtigiis oculos vitiavit apertos,
Et vos quo libuit Puppula nare trahit.
Quin Antichriſtum tandem cognoſcitis hoſtem,
Cujus vos ſervos non tædet eſſe Duces.
Veſtra opera ſtabilem bipedum nequiſſimus orbem
Poſſidet, & veſtra valde ſuperbit ope.
Crudelis per vos, per vos eſt mente feroci,
Et vobis fretus cuncta nephanda facit.

At

At quam decepti proceres errore locaſtis
Huic operam, poſthac oro tenete manus.
An cupitis ſcelerum Latiali fraude peractûm,
O. proceres fieri vos quoque participes?
Vos quoque judicii ſententia dura futuri
Ad Phlegethontæas, credite, mittet aquas.
Illic perpetuo cruciandos flamma cremabit,
Quæ ſemper vivas eſt habitura faces:
Quod Pſeudochriſti collapſum & debile regnum,
Gnaviter exhibita fortificatis ope.
At tu magne Ducum Cæſar ceſſantibus illis,
Fac tua non ceſſent arma quieta ſimul:
Quinetiam hanc laudem meritis adjunge triumphis,
Ut te veſanus vindice Puppa cadat.
Mollis ſacrificus cum ſemiviro comitatu,
Fac tua præſenti ſentiat arma malo.
Et tu preſſa diu pugnax Germania, tandem
Excute Romanum libera terra jugum.

Hæc omnia late expoſita extant apud Sleidanum à lib. 17. usq; ad lib. 23.

Porro Clementi mortuo Alexander Farneſius, qui ſe Paulum tertium dici voluit, ſuffectus eſt, ſenio fere confectus: qui cum diſſidia in religione mota indies augeri, latiusque ſerpere cerneret, anteceſſore ſuo aſtutior, amicitiæ Cæſariæ ſtudium ſingulare præ ſe tulit, quo Carolum aliosque reges aliquando ad arma in Lutheranos capienda, ſanguinis Germanici ſitientiſſimus, concitaret: interea callide omnibus fidem faciens, futurum uti mox Concilium ſacroſanctum toties à Germanis petitum indiceretur. Indixitque tandem, primum ad Mantuam, inde Veronam, poſtremo multos poſt annos Tridentum, non ſanandæ reipubli-

cæ

cæ cauſa, aut inſtaurandæ religionis gratia: ſed ut Germanorum animis Concilii exitu ſuſpenſis, ipſe, quæ occulte conſilia agitarat, ad effectum deduceret: & veritate conculcata, Germaniam ſub jugum tyrannidis ſuæ, quod luce Evangelii illuceſcente excuſſerat, captivitate Babilonica redigeret. Itaque dum anno poſt milleſimum quingenteſimum quadrageſimoſexto Concilium Tridenti celebrat, ac omnia amica Germanis ſimulat, cum Carolo confœderatione facta, eum ad expeditionem contra Germaniæ principes & civitates Imperiales Evangelicæ profeſſionis ſuſcipiendam impulit: cujus exitus, licet initio lætiſſimus Cæſari affulgere videretur, captis Electore Saxoniæ Johanne Friderico, Landtgravioque Haſſiæ, Wirtenbergico omnibus facultatibus exuto, mulctatisque ingenti pecunia plerisque civitatibus quæ contra ſe arma tuliſſent: tamen dum impenſius Pontifici favens, principes captivos arctiore cuſtodia continet, & religionem ad placitum Pontificis refingit: ea Mauricio Electore Saxoniæ ac Alberto Brandenburgico, cum aliis in ipſum de novo inſurgentibus, rerum converſio eſt facta, ut dimiſſis principibus captis, ac religionis libertate Germanis conceſſa, amicitiæ Papalis fructus ſpe multo minores ſenſerit: malueritque ſe, poſt impenſa Papæ ſervitia, Germanorum Principum amicitiam, Pontificiæ confœderationi præpoſuiſſe. Etſi enim in ipſum minores Pauli, tardioresque, quam aliorum Pontificum, machinationes fuerint: quod is adverſus Dei ſanctos, horrida bella, cruentasque pugnas, ſibi movendas duxerit: tamen

Mambrinus Roſeus lib. 4. appendicis ad

hiſtoriam Neapolitanam Pandulphi Collenutii hæc late explicat.

filio Petro Aloyſio, Parmæ atque Placentiæ duce, ob tyrannidem per conjurationem trucidato: ac Placentia Ferdinando Gonzagæ præfecto Mediolanenſi, ducique Cæſareo, tradito: Pontifex, qui cædem filii Cæſare authore factam ſuſpicaretur, ac de reſtitutione Placentiæ hunc fruſtra ſollicitaret, à Carolo alienatus, de tranſitu ad Galliæ regis Heinrici partes conſilia ſuſcepit: tranſiiſſetque haud dubie, ſi longior ſibi vita contigiſſet: maxime cum Heinricus principibus, quos dixi, captis, ac Placentia præter ſpem omnium occupata, Cæſaris potentiam ſuſpectam habens, fœdere cum Helvetiis renovato, ſe aliorum quoque amicitia muniret. Verum dum miſer vindictam agitat, dolore atque mœrore magis quam ſenio confectus extinguitur, die decimo Novembris, Anni 49.

Sleidanus libro 21.

In ejus locum poſt longam Cardinalium in conclavi diſceptationem, Anno Domini 1550, Pontifex renunciatus Julius tertius, cum ante Gallicarum partium fuiſſet, pontificatum adeptus, nihil in Carolum attentavit: Veneri ac ventri ita deditus, ſpurciſſimus ſenex, ut veterno interiiſſe dicatur.

Sleidanus libro 26.

Mambrinus Roſeus lib. 4. appendicis ad hiſtoriam Neapolit. Hieronymus Roſellus de bello Romano.

Verum alter ab eo Paulus IV, peſſimus hypocrita, (Marcello ſecundo paucorum dierum Papæ, conſenſu Cardinalium, Gallorum regi Heinrico gratificari ſtudentium ſuffectus) cum Cardinalis adhuc, malevolentia in Cæſarem ſuffuſus, Paulo Tertio ſuaſor fuiſſet, regni Neapolitani, tanquam ſedi Pontificiæ aperti, occupandi: tunc majorem nocendi occaſionem adeptus, occultatum in Cæſarem odium

evo-

evomere, ejusque partibus addictos incredibili rabie perſequi cœpit. Vix etenim coccineæ iſtius beſtiæ ſede conſcenſa, Alexandrum Farneſium Cardinalem Sanflorianum, Camillum Columnium, ac Julianum Cæſarinum, cum fratre Archiepiſcopo, ob ſuſpicionem initæ cum Cæſarianis contra ſe conſpirationis, in carceres conjicit: Cæſaris nuncios atque miniſtros hinc inde per Italiam diſcurrentes, quotquot poteſt, intercipit, interque hos Taſſum veredariorum Cæſariorum Magiſtrum, & Garziam Laſſum, non obſcuri nominis apud Hiſpanos ducem. Bona Marci Antonii Columnii, quem abſentem ut infra triduum ſe ſiſteret, citarat, non comparentis publicat. Et Aſcanii Columnii facultates per Latium, Joanni Comiti Montoriano, cum titulo ducatus Palliani attribuit. Proſcriptos è regno Neapolitano in odium Cæſaris receptos, officiis ac muniis publicis præficit, Pallianum ex conſilio Petri Strozzæ, pro recipiendo Gallico præſidio ad infeſtandam Neapolim munit. Poſtremo inducias quinquennales, inter Carolum Cæſarem & Heinricum Gallorum regem, in Belgico pactas, per propinquum Caraffam Cardinalem in Gallias miſſum, ſcelerate turbat. Et ne quid malevolentiæ Pontificiæ in Carolum deſit, Philippo filio, in quem pater Imperio à ſe abdicato adminiſtrationem omnium regnorum contulerat, Siciliæ Neapoliſque regna, beneficiario titulo Eccleſiæ Romanæ obnoxia, conferre renuit. Unde tam horrida, tamque funeſta bella exorta fuêre, ut potentiſſimorum regum viribus inter ſe hoſtiliter commiſſis, Italia Galliaque

liaque bello Pontificio implicita, ſanguine ſuorum maduerit. Namque non ſolum Roma obſidione & fame, ab Albano duce Cæſareo preſſa, direptionis qualem antea ſub Clemente pertuliſſet, periculo vicina fuit, ita ut tandem conditiones pacis à duce Hiſpano remiſſiore, quam par fuiſſet, latas, faciliime acceptaret: ſed & Galli, duce Guiſiaco, ad res Italicas ac Neapolitanas in gratiam Pontificis turbandas miſſo, dum Auguſtam Veromanduorum contra Philippi Hiſpaniarum regis exercitum è Belgico in Veromanduos erumpentem, novis auxiliis communire conantur, graviſſimas militiæ pœnas ſubiêre: exercitu ipſorum ab equitatu Germanico profligato, Conneſtablio cum multis Galliæ proceribus, Rhenique Comite capto, Auguſta quoque Veromanduorum à rege Philippo expugnata. Nec diu poſt, cum capto Caleto, per Gravelingenſes anguſtias redeunt, ab Amurate Gaveriorum principe, Egmondæque comite, minore clade affecti: Termæo atque Villæbono, duobus præclariſſimis tribunis, cum toto exercitu partim cæſis, partim captis. Quis Pontificem, horum malorum authorem, Chriſti vicarium agnoſceret? & quis ipſum Sauli, quam Pauli, nomine digniorem eſſe non fateretur?

Guilhelmus Zenocarus de vita Caroli V.

FERDINANDUS CÆSAR.

INterea vero Carolo ad ſolitudinem vitæ in fano Juſti degendam in Hiſpanias profecto: atque Imperio ad Ferdinandum fratrem, multo ante regem Romanorum electum ac coronatum, publica Electorum ac Principum Francofurti congregatorum approbatione tranſlato:

lato:

lato: cum hic, pro ſua erga ſedem Romanam obſervantia, Saulum Pontificem de adminiſtratione Imperii ſuſcepta, per Guzmannum, ſupremum Majeſtatis ſuæ camerarium, certiorem reddere ſtatuiſſet, cum ſignificatione voluntatis de diademate Imperiali primo quoque tempore, cum ſeſe occaſio daret, petendo, recipiendoque: tam improba malevolentia elataque protervia Cæſareæ obſervantiæ reſpondit, ut ſe non vel Petri cum cæteris Apoſtolis, magiſtratum tanquam ordinationem divinam debito honore cultuque proſecuti, ſucceſſorem, vel hominem ad mutua benevolentiæ ac humanitatis officia propenſum: ſed ipſiſſimum Antichriſtum, quem ſacræ Scripturæ authoritas ſupra omne id quod divinum eſt ſe elaturum affirmat, eſſe, dicique debere, oſtenderet. Effera namque beſtia, quæ Ferdinandum Imperatorem minime agnoſcere vellet, prætendens, à Carolo nemini niſi ſedi Pontificiæ Imperium cedi potuiſſe: nec Ferdinando, citra conſenſum ejus, adminiſtrationem Imperii ſuſcipere licuiſſe: legatum Cæſareum venientem minime ad colloquium admittere voluit: ſed explorata cauſa adventus ipſius, Cardinalibus, Juriſque peritis quæſtiones, non ex oraculis doctrinæ cœleſtis, vel promptuario Legum petitas: ſed ex imis tartareis ſedibus, ab omnis malitiæ, ſuperbiæ, mendaciique autore Lucifero prolatas, diſcutiendas propoſuit: quæ, ut poſtea, per Romaniſtas diſſeminatæ ſparſæque fuêre, hujusmodi extiterunt.

An non Guzmannus, qui miſſum ſe aſſereret à Domino ſuo Ferdinando, ad Sanctiſſimum I.

 Do-

Dominum Papam, legitime docere deberet, quid circa Imperii ceſſionem, fratri Ferdinando factam, Carolus V. fecerit: & econtra, quid frater ipſe admiſerit & acceptaverit.

II. An iis ſufficienter edoctis, illa omnia facta fuerint rite & legitime, maxime non interveniente conſenſu ſanctiſſimi domini Papæ, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ.

III. An remotis iis difficultatibus nihil de præſenti, perſonæ ſereniſſimi domini Ferdinandi reſiſteret, quo minus Imperialis dignitatis capax ſit: cujusmodi ſit mala educatio filii ſui regis Bohemiæ, qui ad manifeſtam hæreſin inclinet: permiſſo, quod in ditionibus ſibi ſubjectis paſſim hæreſes impune vigeant, Catholici opprimantur, Eccleſiæ viduentur, & monaſteria deſpolientur, profitentes Auguſtanam confeſſionem promiſcue cum Catholicis converſentur & habitent. Conceſſiſſe Ferdinandum colloquium Wormacienſe ſine conſenſu & licentia S. ſedis Apoſtolicæ, de rebus religionis inter Chriſtianos & hæreticos. Juramento ſe adſtrinxiſſe in conventu Francofurtenſi, ſervaturum omnia quæ in Comitiis præteritis ſtatuta fuiſſent, inter quæ plura hæretica & damnata reperirentur. Imperatoris nomen propria authoritate aſſumpſiſſe. Decretum contra communicantes ſub utraque ſpecie publicatum, ſuſpendiſſe, hoc præſertim tempore quo maxime executioni mandari debuiſſet. Violaſſe juramentum, quo in electione prima, in regem Romanorum, ad Eccleſiæ & fidei Catholicæ defenſionem, hæreſium ac ſchiſmatum extirpationem, nec non hæreticorum averſationem,

ſeſe

ſeſe adſtrinxerit. Alia quoque ejus generis quamplurima, contra juramentum & ſacros canones ab ipſo commiſſa.

IV. Quid itidem è perſona nonnullorum Principum electorum dicendum ſit, qui notorie eccleſia Romana relicta, huic ceſſioni conſenſerint: & quomodo tandem cum Chriſtianæ reipublicæ pace & tranquillitate, hiſce omnibus conſuli ac proſpici poſſit. Et hæc Cardinalibus tunc diſcutienda propoſita fuêre. Licet autem nunc ordo narrationis exigeret, ut quid ad ea Cardinales reſponderint, ſubjicerem: & neutiquam mei muneris atque officii eſſe videam, in propoſitas quæſtiones inquirere: tamen væſana Romaniſtarum ſuperbia omnes leges ſuperans, ac rerum propoſitarum indignitas ab ordine propoſito me removent, & ab inſtituta narratione præter hiſtoriæ legem nonnihil digredi compellunt. Id quod dum facio, veniam mihi ab æquo Lectore dari peto. Nam quis, quæſo, hiſce quæſtionibus perpenſis, autorem à quo propoſitæ fuêre conſiderans, etiam lege hiſtoriæ neglecta, veſanam dominandi libidinem, cum horribili impietate ac impudentia conjunctam, in Pontificibus Romanis non execretur? qui non contenti ſervitute, qua Chriſti Eccleſiam multis annis tyrannice preſſere: reges ac principes, in tanta veritatis luce, ſub tyrannidis ac captivitatis Babylonicæ jugum, rurſus quoque redigere conantur.

Vult hæc beſtia ſeſe doceri, quid circa Imperii ceſſionem Ferdinando factam Carolus fecerit, vel Ferdinandus acceptarit. Quo jure id poſtulat? Annon Apoſtolorum, eorumque

ſucceſſorum poteſtas, hiſce limitibus ac metis arctata atque circumdata eſt, ut ipſi miniſterium Evangelii docentes, non ſolum Imperiis relictis, reges gentium dominari permittant, ſed & ipſi ſeſe eorum poteſtati ac jurisdictioni obedienter ſubjiciant? Quis itaque abominabile non judicet, quod Papa Chriſti mandato ſpreto, ipſum Imperatorem ſibi ſubjicere, & de ejus electione ac authoritate judicandi poteſtatem uſurpare nitatur?

Vide Leopoldum de Babenberg, de juribus regni, &c. cap. 8. Dantem & alios, qui eo tempore ſcripſere.

Conſenſum ſuum in ceſſione & acceptatione Imperii intervenire debuiſſe aſſerit. At quæ lex divina vel humana id præcipit? Annon Pontificum ambitione creſcente, cum hi authoritate ſua electum Imperatorem approbari contenderent, jam multis abhinc annis luculenter & copioſe doctiſſimi quique demonſtravêre, Electum concordi principum ſuffragio ad approbationem Pontificis petendam, vel recipiendam, minime aſtringi. Dum itaque hic Saulus contrarium exigit, an potius Germanos vel meretricis magnæ amore adhuc inſanire, vel jurium ſuorum oblitos eſſe exiſtimat?

Porro Ferdinandi confirmationi, malam filii Maximiliani tunc regis Bohemiæ, nunc Imperatoris laudatiſſimi educationem objicit: in quo non inſignem, immo diabolicam Pontificis malitiam cernere licet. Quæ enim bonæ ac laudabilis educationis pars eſt, quæ omnibus ejus membris diligentiſſime diſcuſſis, in principe Maximiliano deſideretur? Siquidem veræ atque incorruptæ religionis Chriſtianæ cognitione à teneris annis, magno totius Eccleſiæ commodo imbutus, ad juſtitiæ omniumque virtutum amo-

amorem aſſuefactus, literis bonis ac artibus honeſtis præ cæteris Europæ regibus atque principibus liberaliſſime eruditus, à vitiis teterrimis gubernatorum, libidine, rapacitate atque ingluvie averſus: denique variarum linguarum peregrinarum cognitione, cum incredibili manſuetudine, humanitate, continentia, temperantia & frugalitate ita inſtructus eſt, ut quemadmodum in opalo gemma, multarum gemmarum dotes eminere dicuntur, cunctæque hæ pariter incredibili mixtura lucere: ita in Maximiliano multivaria ingenii atque virtutum ornamenta effulgere, & quæcunque apud alios placere poſſunt, in illo inveniri conſpiciuntur, ut nemo tam à judicio averſus, vel à virtute alienus ſit, quem pulcherrimus virtutum chorus in hoc Principe, in admirationem ejus non convertat ac rapiat.

Verum quid beſtiam iſtam ſepticipitem urat, minime obſcurum eſt. Potuere ſuperioris ætatis Pontifices, Imperatorum, quos odio haberent, filios, amore meretricis Babylonicæ dementatos, in parentes nefarie ac parricidialiter armare: ut exempla Turbani II. Paſchalis, atque Gregorii Noni, ſuperius commemorata in Heinrico Quarto, & Friderico II, demonſtrant. Hic Saulus ergo quartus, cum Maximilianum melioris, ſpectatiorisque indolis, pietatis & ſanctimoniæ eſſe deprehendit, quam ut optimum ad mala agenda impelli poſſe exiſtimet, male educatum eſſe vituperat. O Draconis veriſſimam ſobolem, filiamque diaboli: quæ, bona, mala dicere non erubeſcit. Nam quod ad oſtendendam malam Maximiliani educatio-

cationem allegat, permitti ab eo, ut confeſſionem Auguſtanam profitentes, libere cum his quos Catholicos nominant, converſentur: quis ab aſtutiſſimo Theatino hoc quæri non videt, ut Evangelicis ab aliorum conſortio excluſis, nova genimina impietatis ſuæ, in ædes mulierculارum, ad captivandas earum conſcientias, teneramque ætatem in captivitatem Babylonicam ſeducendam, libere irrepere, ſolique quaſi hoſtibus profligatis in ditione Cæſarea dominari queant? Quis etenim à Pontifice Saulo, Catholicis Evangelicorum coverſatione, metu corruptionis, interdici credat? Annon iſta meretrix Babylonica, nullam ſuorum contagionem verita, ipſos cum peſtilentiſſimis ſcortis, annua etiam penſione ab hiſce accepta, libere atque ſecure non tantum converſari, ſed & fœdiora perpetrare concedit? Annon Turcos atque Judæos in ſua ditione, maxime Anconæ, cum ſuis negotiari, contrahere, converſari, commeſſarique permittit? Qua igitur fronte criminari audet, liberam converſationem his qui Evangelio nomen dedêre, cum alterius religionis ſectatoribus concedi? Perditam hanc meretricem à facie ſua in abyſſum repellat Dominus, quæ Chriſti religionem pie ac ſincere amplectentes, deteriores Turcis atque Judæis habere non erubuit.

Ac ut hoc cum ſingulari impudentiæ ac iniquitatis nota: ſic quod Catholicos opprimi, monaſteriaque in regno ſpoliari prætendit, cum inſigni vereque papali mendacio conjunctum eſt. Ubi namque locorum, & quo tempore hoc factum fuiſſe probaret? At quid velit, facile

cile eſt conjicere. Inſpectio namque & cura, ne à Papæ gurgitibus opes Eccleſiæ vorentur, & per ſummam luxuriam nequiter diſſipentur, Romaniſtis jampridem Catholicorum oppreſſio, ac monaſteriorum ſpoliatio dicta eſt. Quæ vero hæc perverſa calumnia eſt? Annon Spiritus ſancti elogio rex ſanctiſſimus Joſias prædicatur, quod cum oblationes à ſacerdotibus ingurgitari videret, ſcribam ſuum exigendis rationibus præfecerit? Ejus ergo exemplo, ſi principes quoque Germaniæ ad vindicandum ſacrilegium manus admoveant, quid piaculi committere dicentur? O iniquiſſime Saule, qui cum Aſcanio Columnio, nihil tale merenti, facultates ſuas paternas eripere, easque tuo cognato Comiti Montoriano aſſignare non reformidares: aliorum juſtas ac pias inſpectiones, ne Eccleſiaſtici bonis Eccleſiæ male utantur, improbe condemnas.

Culpat deinde colloquium Wormatienſe, à Ferdinando citra conſenſum Romanæ eccleſiæ inter hæreticos & Chriſtianos permiſſum. At quare ea fidei magiſtra, libera de religione colloquia non inſtituit? & cur à colloquiis de religionis diſſidiis, vitiisque Eccleſiæ tollendis, viros pios, ac veram Evangelii doctrinam amplectentes, tyrannice excludit? An itaque Ferdinandus in tanta Romanæ ſedis, non negligentia, ſed fraudulenta ac impia idolomaniæ, peſſimorumque abuſuum tolerantia, conventu de diſſidiis religionis componendis permiſſo, rem vel à pietatis vel officii rationibus alienam feciſſe putabitur? Annon veteres Chriſtiani Imperatores ac reges, inconſultis & invitis Epi-

ſcopis

ſcopis Romanis concilia celebraſſe leguntur? Quis primum Synodum Nicenam, quis Epheſinam, quis Conſtantinopolitanam, quis Chalcedonenſem coegit? & ne in enumerandis ſingulis prolixior ſim, quis totis quingentis annis ſynodos univerſales, quæ multæ habitæ fuerunt, inter id tempus congregavit, præter unum Cæſarem?

Quid vero in hoc peccavit Ferdinandus, quod ſe ad obſervationem eorum quæ in præteritis comitiis decreta fuiſſent, juramento obſtrinxerit? Annon bonum Imperatorem ac regem publicis regni ſtatutis teneri, quam voluntate atque libidine Pontificum ferri, ſatius eſt? Et an nondum hic delyrus atque veſanus Pontifex, ea quæ æque à Romanæ Eccleſiæ cultoribus, atque à Lutheranis (ut eos vocat) decreta fuère, condemnat, ſuæ religionis quoque ordines vel hæreſeos vel defectionis imprudenter inſimulat? Agnoſce itaque meretricis Babylonicæ cerebrum, quæ in laqueum tortuoſum delapſa, hic ſua pudenda turpiſſime denudat, atque pudendorum quam cerebri ſe plus habere in hac cauſa oſtendit.

Vide de hoc conſtitutionem Ludovici IV. apud Albericum de Roſate. L. Bene à Zenone C. de quadrien. præſcript.

Imperatoris nomen, citra Pontificis conſenſum à Ferdinando aſſumptum, quoque indignatur. Cum vero jam olim à legibus Imperii ſancitum & conſuetudine receptum ſit, electum ab electoribus concorditer, vel majori parte eorundem, ex ſola electione verum Romanorum Imperatorem eſſe cenſendum, nec Papæ aut alicujus alterius approbatione vel conſenſu indigere: quid novi quæſo hic à Ferdinando commiſſum? vel quæ Pontifici indignandi debacchan-

bacchandique cauſa? niſi vel ambitio, vel dementia diabolica?

Damnat, decretum contra communicantes ſub utraque ſpecie, ſuſpenſum. Quæ vero hic in magiſtro veritatis, atque Sacrarum literarum interprete, ſcientia apparet? Annon Chriſtus communione Cœnæ Dominicæ inſtituta, eam ſub utraque ſpecie obſervari juſſit? Annon hanc ut Chriſti teſtamentum Paulus Apoſtolus mutari vetuit, hoc argumento: Cum hominis teſtamentum reſcindere non liceat, nec Chriſti reſcindere licere? Annon Eccleſia primitiva Chriſti inſtitutioni inſiſtens, eandem ſub utraque retinuit, usque quo vix ducentis abhinc annis, Chriſti ordinatione per Pontifices ſcelerate mutata, Eccleſiæ altera ſpecies adempta eſt? Anne Paulus quoque III, & ipſe Pontifex, edita bulla ſua Germaniæ Epiſcopis, poteſtatem communicandi populo ſub utraque ſpecie conceſſit, eaque Imperator non minus quam quivis illorum gaudere potuit?

Ferdinandus itaque ſuſpenſo mandato contra communicantes ſub utraque ſpecie, rem ne inſtitutioni Chriſti, atque mandato ejus, bullæque Pontificiæ diſſonam, ac Chriſtiano Imperatore indignam fecit? Annon dum Saulus contrarium exigit, ſe non Chriſti vicarium, ſed veriſſimum Antichriſtum: non cultorem primitivæ Eccleſiæ, ſed contemptorem: & anteceſſoris non ſectatorem, ſed hoſtem manifeſtum eſſe demonſtrat?

Perjurii denique notam Imperatori (quo jurisjurandi, fidei datæ, atque promiſſi nullus tenacior, vel cultor religioſior extitit) perfidiæ author

author Papa, aſpergere conatur. At qua de cauſa alia, quam quod ad nutum & voluntatem ſævæ iſtius meretricis, ebriæ de ſanguine Sanctiſſimorum martyrum, ſanguinem innocentium, quos hæreticos impie aſſerit, effundere, atque Chriſti doctrinam amplectentes, triremibus, aquis, laqueo, ſecuri, igne, ferroque perſequi noluerit: ea ſemper conſilia ſecutus, quibus certamina in Eccleſia nata, moderatione magis quam vi & armis componerentur? Et jurarit Ferdinandus, quod Pontifex prætendit, ſe omnem hæreſim atque hæreticos exterminaturum: idque non præſtiterit: ob id ne in perjurii notam incidiſſe dici poterit? Annon, cum hi qui à Pontifice hæreſeos inſimulantur, ejus minime convicti & condemnati fuerint, quod canones exigunt, juſtius à cæde eorum juſtiſſimus Imperator abſtinuit, quam juramento adimpleto ſanguinem innocentem effudit: ipſis Pontificum decretis ſtatuentibus, juramentum iniquitatis vinculum minime eſſe, ſed tres comites (veritatem, judicium atque juſtitiam) habere debere: ac ſi quid forte nos incautius jurare contigerit, quod obſervatum in pejorem vergat exitum, illud libere ſalubriori conſilio mutandum, ac magis inſtante neceſſitate pejerandum, quam pro vitando perjurio in aliud crimen gravius eſſe divertendum? Præterea, an ingens ſcandali atque periculi imminentis neceſſitas, quæ aliis ex ſententia præſtantiſſimorum Juriſperitorum in ſimili facti ſpecie prodeſſe viſa eſt, ni Imperatori ad excuſationem prodeſſet, quod ad voluntatem Pontificis id quod

c. nos in quenquam. 2. q. 1. c. cum contumacia de hæret. num. 6.

22. q. 2. c. animadvertendum 22. q. 3. c. ſi aliquid.

Mant. Tomo ſecundo conſilior. conſil. 241. fere per totum.

quod promiſerat, neceſſitate compulſus, non ſervarit?

In electorum quoque vota inquirit. At quid illi juris in ea tributum? A Pontifice-ne, an à proceribus Germaniæ, ea ipſis collata fuêre? Ac ſint electorum quidam hæreſi aſperſi, ob id ne vota eorum infirmabuntur? Sane ſi geſta ab hæreticis irrita ſunt, quæ decreta Romani Epiſcopi valida firmaque erunt? Ipſe namque non ſolum hæreticus eſt, ſed hæreſiarcha, adeoque omnium hæreſeon & impietatum impuriſſima lerna atque latrina.

Ad extremum, omnia ita examinari poſtulat, ut quieti & tranquillitati publicæ conſulatur. At quæ furia unquam, ex Styge Tartarea, paci ac tranquillitati infeſtior, quam volucris illa inviſa atque immunda Romana exorta eſt? Hæc namque cum inter principes Chriſtianos, diſcordias atque bella ſerere & fovere omni ſtudio, pollicitationibus, largitionibus, proditionibus, variisque dolis contendat, in cauſa eſt, cum ut Chriſtiani principes inter ſe diſſidentes, adverſus Turcam per Eccleſias Chriſti in Europa ferro, ac miſerrimo Mahometici dogmatis jugo debacchantem, nunquam convenire poſſint: tum ut ipſi inter ſe bellis civilibus atque domeſticis confligentur: ipſa interim tyrannidem ſuam, tanquam divinum quoddam numen, conſervante, hac cum ſpecie, ut rerum imperiti exiſtiment, adverſus ipſam inferorum portas non poſſe prævalere? Sed quo oratio delabitur? Revocetur ad quæſtiones, à Pontifice propoſitas, unde digreſſa eſt.

Cardi-

Cardinales quæſtionibus hiſce propoſitis, etſi ob novitatem facti eas tanti ponderis eſſe faterentur, ut non ſolum perſonarum, de quibus ageretur, ſed & temporum perturbatiſſimorum ratione habita, maturiore ſapientum conſilio examinandas eſſe cenſerent, maxime cum & potentia infidelium Imperio vicinorum extimeſcenda eſſet: tamen vel cupiditate Pontificiæ authoritatis conſervandæ, vel metu beluæ iſtius ſine diſcrimine in quemlibet debacchantis adducti, ea reſpondêre, quæ ipſos libidini Pontificiæ magis quam veritati ſervire teſtarentur. Nimirum neceſſe eſſe publicis documentis probari, quomodo Imperium per ceſſionem Caroli V. aut alia ratione vacarit: & diſpiciendum, quomodo Ferdinandus ſe ſucceſſiſſe prætenderet: oratore interim ad obedientiam præſtandam, vel ad actum aliquem publicum tractandum, neutiquam admiſſo. Omnia quæ Francofurti circa Ferdinandi electionem acta & geſta eſſent, nullius valoris, momenti, vel ponderis eſſe: cum authoritas ſedis Apoſtolicæ, cui primitus claves cœleſtis & terreni Imperii datæ ſint, defecerit: iis perſonis intervenientibus, quæ hæretica pravitate laborantes, omnem gratiam & facultatem, olim ipſis circa electionem Imperatoris conceſſam, amiſerint. Quæ in tertio capite Ferdinando opponerentur, maximi ponderis eſſe; opus illi itaque eſſe pœnitentia: qua acta, in illum paterna clementia procedi poſſe. Quocirca ab ipſo Procuratorem ad renunciandum omnibus actis & geſtis Francofurti conſtitui: eaque renunciatione facta, ac ſtante Imperii vaca-

vacatione, novum mandatum ad confirmationem petendam confici poſſe: cum conſtet vigore electionis, ac Clementis VII. confirmationis, Ferdinandum in Imperio ſuccedere debere. Cum vero impedimentum aliqua ſua culpa contractum ei obſtet, examini ſubjiciendum, ut abſolutione impetrata, ad obedientiam exhibendam & conſuetum juramentum fidelitatis admiſſus, ſedis Apoſtolicæ confirmatione potiatur: cujus illud proprium ac peculiare ſit, extenſa brachia tenere, ut quemcunque pœnitentia ductum, & viva fide ad eam confugientem, amanter & obviis (quod ajunt) ulnis complectatur. Hic vero ex vobis (ô Romaniſtæ) quis denuo non ſcire deſideraret, an quisquam veſtrûm ſe Imperatore Ferdinando ſanctiorem vel juſtiorem dicere auſit? Quodnam ipſe delictum patrarit, dignum pœnitentia tanta? Qualis pœnitentia, quam poſtulas, eſſe debuerit? Quid denique ei de veſtro animo ſperandum fuerit? Væ vobis, qui verbis religioſi ſanctique videmini, & in cordibus veſtris ne micam quidem pietatis vel ſanctitatis habetis? Væ vobis, qui pœnitentibus obvias ulnas offertis, & venientes ungulis urſinis crudeliter protritos deglubitis? Væ vobis hypocritæ, qui aliis pœnitentiam injungitis, & ipſi eam non agitis? Quando etenim horribili veſtra ethnica idolomania relicta, veram Chriſti, Apoſtolorumque doctrinam amplectemini? Quando piorum atque innocentium, quos falſo hæreticos dicitis, ſanguine ſatiabimini? Quando Sodmitica ſpurcitie abjecta, dignam ordine ſacerdotali vitam

z inſti-

inſtituetis? Quando tandem immenſis Chriſtiani orbis expilationibus expleti, inexhauſtæ rapacitati veſtræ modum finemque ſtatuetis? Quando à fraudibus excudendis, diſſenſionibus alendis, bellisque conflandis, & orbe terrarum turbando deſiſtetis? Quando infinitorum aliorum ſcelerum, quæ pellis Madian, vel tota Ilias non contineret, pœnitentia vos capiet? O generatio prava, quæ aliis regnum cœlorum claudis, & ipſa non intras, nec intrabis illud.

Interea vero dum hæc in collegio Cardinalium, vexamine magis quam examine diligenti diſcutiuntur, Guzmannus legatus Cæſareus cognitis his quæ Papæ machinatione tractarentur, ſe indies à Pontifice audiri poſtulat. Ac tandem poſt trium menſium ſpatium, ſeriaſque ac graves expoſtulationes, Imperatoris juſſu ſeveriore accepto, ut aut admiſſus mandata injuncta exequeretur: aut nulla interpoſita mora, Roma diſcederet: rem eo deducit, ut in præſentia ſeptem Cardinalium auditus, hanc reſponſionem referret: quandoquidem poſtulata ipſius, maturam ac diligentem Cardinalium Jurisque peritorum deliberationem requirerent ſibi, prout à Domino juſſus eſſet, recedere licere: interea Sanctiſſimum rem totam ad accuratiorem deliberationem revocaturum. Quæ per Deum immortalem hæc deliberatio alia, niſi deliberata ac fruſtratoria eluſio fuit? Nam re ante ſatis deliberata, Sauli iſtius arte, confirmatio Imperatoris ita protelata eſt, ut dum ſplendidiſſimis Cæſaris titulis officere conaretur, ipſe vitalia lumina linquens, cum memoriæ

moriæ ſuæ condemnatione, tartara obſcura, jamdiu iis digniſſimus, ſubierit: Imperatore Ferdinando aliquot poſt annis quoque ex hoc terreſtri regno ad cœleſte evocato, ut confirmationem, quam Saulus controverſam reddere ſtatuiſſet, à Pio IV. ejus ſucceſſore oblatam, animo excelſo vereque regio reſpuerit: legitima principum Germaniæ electione, exemplo Rodulphi Habſpurgici progenitoris, avique Maximiliani, contentus.

MAXIMILIANUS II.

Nunc denique poſt longa bonorum deſideria Imperii gubernatione Maximiliano, omni virtutum decore præſtantiſſimo principi, delata, etſi Pius IV. dum vixit, ita ſe erga eum geſſerit, ut conſueta Pontificum in Imperatores improbitate aperte vitata, labem perfidiæ atque malitiæ ab anteceſſoribus contractam, eluiſſe videri poſſit: tamen cum Paulus IV. jam ante malevolentiæ in Imperatorem conceptæ, documentum inſigne ediderit, nec vitia (ex Senecæ ſententia) unquam bona fide manſueſcant, ſed repreſſa, aliquantiſper tamen erumpant: lupusque pilum quidem, non animum, juxta proverbium, mutare dicatur: minime dubitandum erit, quin Pio jam extincto, alii poſt eum peſtilentiæ cathedram conſcenſuri, animo ad inveteratam Pontificum malitiam converſo, Majeſtatem Imperialem omni arte doloque ſint impetituri. Nunquam etenim ſepticeps iſta beſtia, quæ ſe falſo Eccleſiæ titulo venditat, quietura putetur, donec civi-

Ferrarienſis in forma reſponſ. rei conventi,

in verbo præſcriptionis §. *Nonus.*

civitates, arces atque caſtella poſſidet: & commentitia donatio, ei à Conſtantino facta, per aliquem probum & potentem Imperatorem non ſit revocata, cum non concordet pſalterium cum cithara: nec datum ſit à Chriſto, nec à beato Petro, quod poſſidere debeat talia: Sed quod eſt Cæſaris, reddatur Cæſari: & quod eſt Dei, Deo. Faxit itaque Deus, ut Imperatores ac Principes fraudibus atque injuriis, quas ſuſtinuêre hi, qui ſe ſervos Eccleſiæ iſti fecêre, ad animum revocatis atque perpenſis, neceſſarias ac pias cogitationes de reprimenda tyrannide ipſius ſuſcipiant, ac tandem Apocalypticum mandatum exequantur, Deo rem gratam, Reipublicæ atque Eccleſiæ ſalutarem hoc ipſo facturi:

AMEN.

TESTI-

TESTIMONIA EX VARIIS Autoribus Collecta, Romam Babylonem eſſe, ejusque Epiſcopum jure Antichriſtum dici.

QUia ſuperius Romam aliquoties Babylonem, ejusque Epiſcopum Antichriſtum nominavi, ne quis id me citra authoritatem feciſſe exiſtimet, teſtimonia aliquot veterum ſcriptorum, qui itidem fecerunt, ſubjungere libuit: ut ex iis eluceſcat, & ab ipſis Romam pro Babylone, ejusque præſidem pro Antichriſto habitum fuiſſe.

1. Initio itaque, urbem Romam Babylonem eſſe, ipſe Angelus Dei affirmat, exponens Apocalypſ. 17. Joanni Evangeliſtæ viſionem beſtiæ, habentis ſeptem capita, & geſtantis turpiſſimam adulteram ſeu meretricem, atque dicens: Septem capita eſſe ſeptem montes, in quibus mulier, quæ tenet Imperium in reges, ſedet: videlicet rerum pulcherrima Roma,

Septem quæ una ſibi muro circumdedit arces,

ſeu montes: Palatinum, Capitolium, Aventinum, Celium, Eſquilinum, Viminalem & Quirinalem.

2. Poſt Joannis Evangeliſtæ teſtimonium merito ſecundus locus tribuitur Areziæ, vel Aretiæ, excellentiſſimæ in omni virtutum genere fœminæ, quæ ſanctiſſimi patriarchæ Noachi uxor fuit, Deum valde timens, ſapientiſſima & religioſiſſima, ac prophetiæ ſpiritu mirabiliter illuſtrata. Hæc omnium Sibyllarum antiquiſſima, Chaldæa vel prophetiſſa à priſcis

 auto-

autoribus, à quibusdam etiam Sambetha ſive cœleſtis dicta, 24. libris (quos vaticinos edidit) omnium gentium ac populorum momenti præcipui res deſcripſit: Dominique Chriſti negotia principalia, ejusque æmulum nefarium & Pſeudochriſtum ſuis depinxit coloribus. Nam eum vocat mendaciorum prophetam, peritiſſimum artium magicarum, veneficiorum amatorem, magnifice gloriantem tyrannum, regem teterrimum, Gog vel immanem hoſtem populi Dei atque impoſtorem: & Eccleſiam ejus, regnum nefarium ac jactabundum (quod juſtum populum perſequeretur) appellat, pellicem impudicam, Babylonem: & (ne quis aliam exiſtimet quam Romam) impuram civitatem Latinæ terræ, veneficiorum operatricem, ac puerorum (proh nefas) mixtionem nefariam admittentem. Alio item loco vaticinans, Romam expreſſe Babylonem hiſce verbis nominat:

Veniet (inquit) cœlo ſtella magna in mare vaſtum,
Et inflammabit mare profundum, ipſamque Babylonem,
Italiæ terram, cujus gratia multa perierunt
Ebræorum ſancti, fideles, & templum verum.

Et de ultimo certamine militantis Eccleſiæ ſub finem mundi, ſic cecinit: Noviſſimæ ætatis viri malefici erunt, pravi & ſtolidi, quando in terra erunt prædicantes mendaces, ſeductores loco prophetarum. Et Belias veniet (ſic Antichriſtum vocat, notans eum autorem univerſi

verſi mali eſſe) & ſigna multa edet hominibus. Tunc vero ſanctorum virorum dejectio erit, & profligatio electorum atque fidelium.

3. Hanc Angeli & Sibyllæ interpretationem, Vetuſtas quoque fere omnis ſecuta eſt. Siquidem Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis, qui vicinus temporibus Apoſtolorum, Polycarpum Johannis Evangeliſtæ diſcipulum vidit; lib. 5. adverſus hæreſes Valentini & ſimilium, explicans numerum nominis beſtiæ *666.* annorum, inter cætera Latinum ſeu Romanum fore Antichriſtum, indicat ex nomine Λατεῖνος, cujus literæ numerum *666.* præciſe continent, ac de nomine ita ſcribit: Hunc numerum nominis oſtendit, ut caveamus illum venientem, ſcientes quis eſt. Et valde veriſimile eſſe dicit, nomen ejus eſſe Λατεῖνος. Noviſſimum enim regnum hoc habet vocabulum: Latini enim ſunt, qui nunc regnant. Porro literarum numerus hic eſt:

Λ	30
α	1
τ	300
ε	5
ῖ	10
ν	50
ο	70
ς	200

Summa *666.* cui etiam congruit Ebrææ dictionis numerus, qua ſignificant ſuis literis Romanum.

4. Irenæo merito ſuccedit Q. Septimius Florens Tertullianus, quo ex veteribus, qui

rem Chriſtianam adverſus Ethnicos tutandam ſuſceperunt (teſte Lactantio) omni genere literarum nullus peritior fuit. Is vero inter alia libro 3. adverſus Marcionem, ſic de Roma ſcribit: Nec enim hoc novum eſt Creatori, figurate uti translatione nominum, ex translatione criminum. Nam & ἄρχοντας Sodomorum, appellat ἄρχοντας Judæorum: & populum ipſum, populum Gomorrhæ vocat. Sic & Ægyptus nonnunquam totus orbis intelligitur apud ipſum, ſuperſtitionis & maledictionis eulogio. Sic & Babylon etiam apud Johannem noſtrum, Romanæ urbis figura eſt, proinde magno regno ſuperbæ, & ſanctorum Dei debellatricis. Hactenus Tertullianus. Ideo vero Roma Babylon figurate dicitur, quia inter utramque inſignis eſt collatio. Babylon prima fuit monarchia, Romana eſt ultima. Babylon graviter afflixit Dei populum: ita graviter exercet Roma Eccleſiam Dei. Babylon gravi captivitate attrivit Iſrahelem: ita Roma vexat plus quam diuturna captivitate Eccleſiam. Babylon vicit populum Dei, inflammataque urbe Hieroſolymorum, & exciſo templo, captivum abduxit Iſrahelem: ita & Roma vaſtata urbe Hieroſolymorum, & templo exciſo, triumphavit de Iſrahele. Babylon idolatriam, ſuperſtitionem & omnem abominationem plantavit, provexit, defendit, & obtruſit omnibus: tandem vero cum minime putaſſet, liberato derepente DEI populo, ipſa funditus interiit: ita & Roma genitrix eſt & nutrix, & vegetatrix omnium in Eccleſia po-

ſtremi

ſtremi ſeculi abominationum, in quibus peribit tandem, liberatis omnibus vere in Chriſtum credentibus.

5. Quam vero ut cæteros Orthodoxos dotibus ingenii ac eloquentiæ, ſic quoque eosdem judicii de Babylonica Roma, intrepida libertate Hieronymus Stridonienſis ſuperat, dum ad Marcellum ſcribit, ut Bethlehem commigretur? Et hic puto (inquit) locus ſanctior eſt Tarpeja rupe, quæ de cœlo ſæpius fulminata oſtendit, quod Domino diſpliceret. Lege Apocalypſim Johannis: & quid de muliere purpurata, & ſcripta in ejus fronte blaſphemia, ſeptem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuêre: Exite, inquit Dominus, de illa populus meus, & ne participes ſitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis: fugite de medio Babylonis, & ſalvate unusquisque animam ſuam: cecidit enim, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmonum, & cuſtodia ſpiritus immundi. Eſt quidem ibi ſancta Eccleſia, ſunt trophæa Apoſtolorum & martyrum, eſt Chriſti vera confeſſio, eſt ab Apoſtolo prædicata fides: & gentilitate calcata, in ſublime ſe quotidie erigens vocabulum Chriſtianum: ſed ipſa ambitio, potentia, magnitudo urbis, videri, & videre, ſalutari & ſalutare, laugare & detrahere, vel audiri vel proloqui, à propoſito monachorum & quiete aliena ſunt. Quod ſi hæc Hieronymus circiter annum à Chriſti nativitate 360, quo tempore omnia adhuc Romæ caſtiora & incorruptiora erant, ſcripſit: quid eum hoc tempore ſcripturum fuiſſe exiſti- *Hieronymus.*

mas, quo omnis impietatis, omniumque vitiorum ſentina illic inundavit? Similes loci complures apud eundem inveniuntur: ut Tomo tertio Epiſtolarum, ubi Algaſiæ undecim quæſtiones ediſſerit, maxime quo ſenſu accipienda ſint, quæ Paulus ſcribit 2. Theſſalon. 2. Niſi diſceſſio venerit primum, & revelatus fuerit homo peccati. Itidem in præfatione Dydimi, de Spiritu ſancto, ad Paulinianum. Item in fine ſecundi libri contra Jovinianum. Sed unum adhuc ex Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum ſubjungam, ubi de Marco diſcipulo & interprete Petri ſcribit: & Papias (inquit) Hierapolitanus Epiſcopus meminit hujus Marci, & Petrus in Epiſtola prima, ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans: Salutat vos quæ in Babylone cum electa, & Marcus filius meus.

Auguſtinus. 6. Nec aliud Auguſtini judicium de Roma fuiſſe apparet, ex lib. 18. de Civitate Dei, ubi ſcribit: Condita eſt Roma velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis, per quam Deo placuit orbem debellare terrarum.

7. Gregorius Magnus, qui anno Domini 604. confeſſor obiit, omnium Pontificum Romanorum doctrina & vita præſtantiſſimus, quem Antichriſtum fore putaverit, ſcriptis ſuis abunde teſtatus eſt, cum in ipſo papatus initi limine adverſus papiſtici regni primatum pugnans, libro 6. capite 194. ad Mauritium conquerens ſcribit: Nunquid non, cum ſe Antichriſtus veniens Deum dixerit, frivolum valde erit, ſed tamen nimis pernicioſum? Si quantitatem ſermonis attendimus, duæ ſunt

ſyllabæ:

ſyllabæ : ſi vero pondus iniquitatis, univerſa pernicies. Ego autem fidenter dico : Quia quisquis ſe Univerſalem ſacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit : quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit, nec diſpari ſuperbia ad errorem ducitur. Et libro 4. Epiſtolarum, capite 82. ſcribens ad Joannem Jejunatorem, Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui œcumenicus & univerſalis Epiſcopus haberi voluit, comparat eum Lucifero, qui Eſaiæ 14. dicit : In cœlum conſcendam, ſupra aſtra cœli exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Quid enim fratres tui omnes univerſalis Eccleſiæ Epiſcopi, niſi aſtra cœli ſunt? quorum vitia ſimul inter peccata erroresque hominum, quaſi inter noctis tenebras lucent. Quibus dum cupis temetipſum vocabulo elationis præponere, quid aliud dicis, niſi in cœlum conſcendam, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum? Quos dum veſtra fraternitas deſpiciens ſub ſe premere conatur, quid aliud dicit, niſi hoc quod ab antiquo hoſte dicitur : Aſcendam ſuper altitudinem nubium? Quæ cuncta ergo cum flens reſpicio, &c. Et ad eundem Conſtantinopolitanum præſulem, epiſtola 38. parte quinta Regiſtri, hæc rurſus : Secundum quod veritas prædixit, peſtilentia & gladius per mundum ſævit : gentes in gentes inſurgunt, terræ concutitur orbis cum habitatoribus ſuis : terræ dehiſcentes ſolvuntur : omnia quæ prædicta ſunt, fiunt. Rex ſuperbiæ prope eſt, & (quod dici nefas eſt) ſacer-

ſacerdotum ei præparatur exercitus: quia cervici militant elationis, qui poſiti fuerant ut ducatum præberent humilitatis. Dum ergo Bonifacius tertius civis Romanus contra tam graves & vere Apoſtolicas anteceſſoris ſui cohortationes à Phoca crudeliſſimo Cæſaricida impetrat, ut Roma ſit caput omnium Eccleſiarum, & Epiſcopus Romanus ſuperior Conſtantinopolitano habeatur, & œcumenicus vocetur, an non ex ſententia anteceſſoris Gregorii, viri vere Magni, Antichriſti nomen meretur, vel ejus præcurſor dicendus eſt, cum omnibus ſucceſſoribus ſuis idem nomen diabolico faſtu non tantum uſurpantibus, ſed & horribili tyrannide, ac piorum perſecutione defendentibus, ut Satan à facie Domini egreſſus videatur ad percutiendum Jobum ulcere peſſimo? Etſi enim titulum Servi ſervorum, quem Gregorius ab omni ambitione ac dominandi libidine alieniſſimus introduxit, Univerſalis Epiſcopi nomine penitus abrogato, retineant: id tamen faciunt more Chanaan, atque filiorum ejus, Gen. 9. qui mundi Imperium ad ſe rapuerunt, ac tyrannice fideles fratres oppreſſerunt, tanquam totius terrarum orbis Domini.

Brigitta. 8. Inter Papiſtarum advocatas ſanctiſſimas, nulla à ſcriptoribus eorum ſuperſtitioſis magis celebrata eſt quam Brigitta, ob mirabilia multa quæ cum aqua luſtrali feciſſe fertur. Ea librum ſuarum revelationum unum compoſuit, ac edidit (ut Geraldus Cambrenſis ait) angelo dictante, Brigitta orante, & ſcriptore notante: tantæ apud Papiſtas authoritatis, ut in ſcholis

ſcholis Oxonienſibus magni doctores magiſtraliter eum expoſuerint. In eo quæ continentur, ſi Papiſtis probentur, quomodo negabunt Papam veriſſimum Antichriſtum eſſe? Etſi enim alias in verbis ipſius tanta obſcuritas ſit, ut ad ea enucleanda Delio natatore opus videatur: tamen ubi de ſede Romana conqueritur, ita perſpicuis ac claris verbis utitur, ut etiam à puero intelligi queant. Sic enim libro 1. Revelationum, capite 41. de Romano Epiſcopo ſcribit: Nunc ergo conqueror ſuper te caput Eccleſiæ meæ, qui ſedes in ſede mea: quam Petro & ſucceſſoribus ejus tradidi, ad ſedendum in ea triplici dignitate & authoritate. Primo, ut poteſtatem haberent ligandi animas, & ſolvendi à peccato. Secundo, ut aperirent cœlum pœnitentibus. Tertio, ut clauderent cœlum maledictis & condemnatis. Sed tu, qui deberes ſolvere animas, & ad me præſentare: tu vere es animarum interfector. Ego enim inſtitui Petrum Paſtorem ovium mearum: tu autem es diſperſor & lacerator earum. Tu autem pejor es Lucifero. Ipſe enim habebat ad me invidiam, & nullum concupivit occidere niſi me, ut pro me dominaretur: tu autem tanto deterior es, quod non ſolum occidis me, removendo me à te per mala opera tua: ſed & animas occidis, per malum exemplum tuum. Ego redemi animas ſanguine meo, & commiſi eas tibi tanquam amico fideli: tu autem tradis eas iterato inimico, à quo redemi eas. Tu es injuſtior Pilato, qui nullum judicabat ad mortem niſi me: tu autem non ſolum judicas me quaſi nullius

nullius dominatorem, & nullius boni dignum, imo & animas innocentes condemnas, & nocentes dimittis. Tu es immitior Juda, qui me ſolum vendidit: tu autem non ſolum vendis me, ſed & animas electorum meorum pro turpi lucro tuo & vano nomine. Tu es abominabilior Judæis, ipſi crucifixerunt corpus meum ſolum: tu autem crucifigis & punis animas electorum meorum, quibus malitia tua & transgreſſio amarior eſt omni gladio. Et ideo quia tu ſimilis es Lucifero, injuſtior Pilato, immitior Juda, abominabilior Judæis, ideo merito conqueror ſuper te. Obiit autem Brigitta anno 518.

9. Oecumenius in fine epiſtolæ prioris Petri, & ipſe per Babylonem, Romam intelligit. Babylonem autem, inquiens, hic Romam vocat, ob excellentiam Imperii, & claritatem: id quod olim Roma multo tempore obtinuit.

10. Porro ut Orthodoxi patres, ſic quoque alii qui eos ſubſecuti fuêre Eccleſiaſtici ſcriptores ac pii viri, Romam pro Babylone acceperunt. Nam Epiſcopi Belgici circa annum Domini 860, cum Nicolao primo Papa contentionem quandam de quodam matrimonio habentes, epiſtolam ad ipſum ſatis acrem ſcripſère, in qua inter alia Romam Babyloniam vocant, his verbis: Spiritus (inquiunt) ſanctus author eſt omnium Eccleſiarum, qua longiſſime & latiſſime terrarum orbis porrigitur. Civitas Dei noſtri, cujus municipes ſumus, ad univerſos cœli cardines pertinet: majorque eſt urbe quæ Babylonia à ſacris vatibus appellatur, ut quæ divi-

divinitatem uſurpet, cœlo ſe æquet, ſe æternam fore jactitet, perinde ac ſi eſſet Deus, immortaliſque ſapientia: nec unquam erraſſe, neque errare poſſe mendaciter gloriatur. Extat epiſtola apud Aventinum lib. 4. Annalium Bojorum fol. 428.

11. Legimus quoque Arnulphum Aurelianenſem Epiſcopum, ante annos amplius quingentos & quinquaginta, in concilio Remenſi libere & acriter adverſus Romani Epiſcopi gravem dominatum publice hæc verba pronunciaſſe: Quid hunc in ſublimi ſolio reſidentem, quid hunc (inquam) eſſe cenſetis? nimirum ſi charitate deſtituitur, ſolaque ſcientia inflatur & extollitur, Antichriſtus eſt, in templo Dei ſedens, & ſeſe oſtentans quaſi Deus ſit. Si autem nec charitate fundatur, nec ſcientia erigitur: in templo Dei tanquam idolum eſt. Tantum ille: qui videtur hiſce verbis ſuis alluſiſſe ad loca ſanctæ Scripturæ, Apocalypſ. 19. 2. Theſſalon. 2.

12. Extat epiſtola Leodienſis Eccleſiæ contra Paſchalem II. Pontificem, qui eam Eccleſiam & provinciam Roberto comiti Flandrenſi, igne ferroque vaſtandam conceſſerat, quod Heinrico IV. obediret. In ea epiſtola vocant Romam Babylonem, dicuntque eam à Petro ſic prophetico ſpiritu vocatam eſſe, quod Romanis turbinibus & procellis Eccleſia eſſet perturbanda. Scripta eſt circa annum Chriſti 1100: & invenitur in tertio tomo Conciliorum, quæ Coloniæ ſunt edita.

13. Eodem quoque fere tempore plerique alii tum privatim tum publice pro concione Grego-

Gregorio maledixêre, ac Hildebrando male precati fuêre, ipſum odio atque libidine dominandi præcipitem agi vociferantes, ·Antichriſtum eſſe prædicantes: Pietatis ſub ſpecie (inquibant) debacchatur, honeſtis nominibus bonum publicum ſimulat, titulo Chriſti negotium Antichriſti cogitat: In Babylonia, in templo Dei ſedet, ſuper omne id quod colitur, extollitur quaſi Deus ſit, ſe errare non poſſe gloriatur. Hæc & alia Aventinus lib. 5. fol. 573. Annalium Bojorum.

14. Petrus Bleſenſis, qui (teſte Trithemio) ſub Friderico Imperatore primo claruit, ſcripſit multa, in quibus graviſſime vituperat vitam moresque ſpiritualium. In quadam vero epiſtola, ad quendam Officialem (ut vocant) Epiſcopi, monet eum, ut quamprimum ex illa Babylone exeat, his verbis: Quia te affectuoſiſſime diligo in viſceribus Jeſu Chriſti, propoſui te ſalutaribus monitionibus adhortari, ut de Ur Chaldæorum, & de medio Babylonis tempeſtive exeas, ut miniſterium damnatiſſimæ villicationis omittas. Clerum alioqui ſæpe nominat Syriam, vitulos Bethel, pingues Samariæ, ſacerdotes Baal, judices qui condunt leges iniquas: Cantantur (inquit) eorum turpitudines in tentoriis Geth, & in compitis Aſcalonis. Sic factus eſt princeps Sodomorum, diſcipulis poſt eum in cathedra peſtilentiæ ſedentibus.

15. Valdenſes quoque, inter alios ſuæ doctrinæ articulos, quos circiter annum Domini 1160. hinc inde docuère, & hunc aſſeruerunt: Romanam Eccleſiam eſſe Babylonem, de qua in

in Apocalypſi: & Papam eſſe omnium errorum fontem, & verum Antichriſtum.

16. Fridericus etiam ſecundus Imperator, cum præter meritum à Gregorio Nono exagitaretur, cum alia adverſus ipſum, tum vero & hoc ſcripſit, captum ipſum Imperii conſuetudine, ut ſolus regnet, omnia perturbare atque commiſcere: cuncta tumultu complere, ut ſurſum deorſum univerſa ferantur. Jampridem eos qui Babyloniæ, hoc eſt, Romæ templo Dei incubent, divinitatem affectare, & aſtute id diſſimulare. Aventinus lib. 7. Annal. Bojorum fol. 679. Et paulo poſt: Paulus armarium philoſophiæ divinæ præcipit: Subjecti invicem in timore Chriſti eſtote. Hoc intereſſe inter Chriſtianorum & prophanorum principes, cœleſtis doctor & præceptor noſter, ſummusque atque immortalis Pontifex docet, quod hi dominantur ſubditis, illi ſerviunt. Formam ſervi ſuprema majeſtas ſuſcepit, ut diſcipulis ſuis ſerviret, eorumque pedes lavaret. Flamines illi Babyloniæ ſoli regnare cupiunt, ferre parem non poſſunt: non deſiſtent, donec omnia pedibus ſuis conculcaverint, atque in templo Dei ſedeant, extollanturque ſupra omne id quod colitur: fames opum, ſitis honorum inexplebilis eſt.

17. Adeo porro multi in Germania, Italia, Francia & Anglia, Friderici hujus tempore, crediderunt Romam Babylonem & meretricem illam magnam eſſe, ut impoſtores quidam Apocalypſin Johannis abolere conati fuerint, maxime quidam Cyrillus Carmelita Græcus, qui tam Moyſis quam Johannis exemplo, novam

Apocalypſin è cœlis circa annum à Chriſti nativitate 1192, Dei ipſius digito in argenteis tabulis græce ſcriptam, ſuper futuro Eccleſiæ ſtatu ſe accepiſſe gloriatus eſt. De quo Balæus lib. 5. de actis Romanorum Pontificum, ſub vita Gregorii Noni.

18. Salisburgenſis Archiepiſcopus Eberhartus, imperante hoc Friderico, in concilio frequenti Principum & Epiſcoporum, Papam Romanum pronunciavit ipſiſſimum Antichriſtum eſſe, à Daniele & aliis vatibus prædictum. Theodorus Bibliander in Chronologia ſua, Tabula decima.

19. Abbas Joachim Calaber, homo eruditionis & etiam ſanctitatis vitæ nomine celebris, quæ de Romana Eccleſia ſenſerit, in ſuis ſcriptis ſatis oſtendit. Nam ſuper Hieremiam ſic ſcribit: Eſt & alia ficus, quæ maledictione prævaricationis jam aruit, Latina Eccleſia, ſive navicula Sancti Petri: cujus folia temporalia, de quibus conficiuntur perizomata, ad excuſandas excuſationes in peccatis, quibus in honeſtatem vitæ ſuæ tam Adam ſummi Pontificis, quam Eva Eccleſiæ ſubjectorum operiant, & in ligno Eccleſiaſticæ gloriæ ſeſe miſerabiliter abſcondant. Sed quia patrimonium Jeſu, quod ipſi Pontifices à principibus Chriſtianis quaſi boni & mali ſcientiæ lignum ſumunt: boni, quo ad ſuſtentationem vitæ: mali, quo ad diſſipationem & libidinem vitæ & abuſum: cupientes gigantes fieri ſupra terram, Reipublicæ famoſique viri per totam latitudinem Imperii Chriſtiani, non contenti ſtipendiis, &c. Et aliquanto poſt: Nam ſecundum ſententiam ſanctæ

ſanctæ Brigittæ, potens eſt Deus & Francos ſuſcitare adverſus Eccleſiam. Cum enim Eccleſia Romana deficiet quo ad obedientiam, & Pontifices ex Alemannis theſaurum extrahentes, filios & filias ad culmen dignitatis ſecularis promovent, volante matre cum pullo, ad errorem ducetur populus Chriſtianus: tum finis, clamor & ululatus univerſæ carnis, veniet ad Dominum aſtrorum, &c. Idem in Commentario ſuper Hieremiam, tempus æſtimat eſſe periculoſum futurum ab anno Domini 1200, usque ad ultimos dies: in quibus apparebit (inquit) Lex libertatis. Evangelium regni Chriſti tunc prædicabitur, & Eccleſia purgabitur, ut à palea & zizaniis triticum. Verum hiſtoria, quam ex Rogerio Hovedeno de eo refert Foxus Anglus, in Commentariis rerum in Eccleſia geſtarum, præcipue notanda eſſe videtur: Richardus (inquit) Angliæ rex, in expeditione Hieroſolymitana, accepta fama Joachimi Calabrienſis Abbatis de Curacon, qui ſpiritu prophetico ventura prædicebat, quo tempore Siciliæ ageret, eum ad ſe accerſit, auditurus quid de Antichriſto inter cætera denunciare poſſet. Hic ergo explicans myſterium ſeptem regum in Apocalypſi, quorum quinque ceciderint, &c. Reges ſeptem, inquit, ſeptem ſunt perſecutores, Herodes, Nero, Conſtantius, Mahumet, Melſemutus, Saladinus, Antichriſtus. De Antichriſto ſic ajebat, quod is jam in urbe Roma prognatus eſſet, & in ſede Apoſtolica ſublimabitur, de quo Apoſtolus: Extollitur & adverſatur ſuper omne quod dicitur Deus. Hæc Hovedenus. Annus vero hujus Abbatis erat, 1290.

Anno Domini 1345, quidam Minorita nomine Hayabalus, propterea quod ſolitus eſt publice concionari, & affirmare ſe divinitus juſſum concionari, Eccleſiam Romanam eſſe Babylonicam meretricem, & Papam & Cardinales eſſe meros Antichriſtos: Avinione à Clemente, coram quo id conſtanter & intrepide affirmaret, miſerum in modum vexatus eſt: ut refert Heinricus de Erphordia, chronographus, in opere hiſtoriarum de Factis memorabilibus.

21. Volquini cujuſdam homelia ſuper Evangelium de interſeminata zizania, ante tempora Lutheri extat Baſileæ anno 1555. impreſſa, in qua autor: proh dolor & proh dolor hodie meretrix (inquit) antiqua quæ, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, fornicatione & immunditia, qua mirabiliter inebriat ſacerdotes & clericos? De qua in Apocalypſi: Vidi mulierem ebriam de ſanguine virorum, & de ſanguine martyrum Chriſti. Mulierem mollem dicit, emollientem luxuriam carnis, ebriam de ſanguine ſuorum ſcortorum ſive ſcortatorum. Hæc eſt illa ſanguiſuga, quæ ſugit ſanguinem miniſtrorum Dei, & martyrum Dei, qui martyres Chriſti eſſe debuerant, & fiunt martyres diaboli, in honorem ejus & obſequium carnem & ſanguinem conſumentes. Cum vidiſſem, inquit, homines, miratus ſum. Quis non miretur & horreat & obſtupeſcat, ſacerdotem Domini, miniſtrum Dei, calice epotato ſitibundum, & potare feces de calice Babylonis?

22. Dan-

22. Dantes Florentinus, quod & ipſe Papam meretricem Babylonicam eſſe ſenſerit, non obſcure oſtendit in concione 32. Purgatorii: dum ejus miniſtris, id eſt Epiſcopis, tribuit bicornia capita, quatuor vero quibusdam, quibusdam unum cornu, qui & ſunt Patriarchæ: ipſi vero meretrici, inſtar cujuſdam arcis. Floruit ſub Ludovico Bavaro, ſub quo etiam inter cætera compoſuit librum de Monarchia: in quo probat, Imperium nullam dependentiam habere à Papa, ſed à ſolo Deo: ut refert Nauclerus generat. 45. *Dantes.*

23. Ejuſdem Ludovici Secretarius fuit quidam Ulrichus de Auguſta, qui in regiis literis ſummum Pontificem vocavit beſtiam ortam à mari, eoque diſcordiæ cauſam inter Johannem 22. Papam & Imperatorem præbuiſſe fertur: ut Paralipomena Urpſergenſis teſtantur. *Secretarius Ludovici Imperatoris.*

24. At, qui hoſce paucos poſt annos ſubſecutus eſt, Franciſcus Petrarcha, omnium artium inſtaurator eruditiſſimus, Romam multo acerbius eſt inſectatus. Appellat enim Epiſtola vigeſima, Papæ curiam Babylonem, & meretricem Babyloniam ſuper aquas ſedentem, matrem omnium idololatriarum & ſcortationum, cum qua ſcortati ſunt principes & reges terræ: aſylum hæreſium & errorum, de qua in Apocalypſi Spiritus ſanctus prophetarit. In Italicis etiam rhythmis ſcribit inter alia de Roma: *Franciſcus Petrarcha.*

Schola di errori, & templo de hæreſia:

id eſt, Schola errorum & templum hæreſeos. Sic & ſæpe alias in eodem poemate eam vocat

 impiam

impiam Babyloniam: item, matrem errorum: item, nidum proditionum, in quo totius terrarum orbis venenum fovetur, crapulis & ebrietatibus obſtrictum, meretricem execrabilem, in qua luxuria undequaque vagatur & viget, hæreſium errorumque aſylum, carcerem ubi bonum extinguitur, & quodvis malum ſceleſtumque alitur: Chriſto ejusque Apoſtolis rebelle, ut Venerem Bacchumque deos colat. Item dicit, eam creſcere ex alienis calamitatibus. Ait quoque, eam ſe extollere contra ſuos fundatores: id eſt, Imperatores, qui ipſi multa antea largiti ſunt. Sed ejus verba ex alia quadam epiſtola aſcribamus: Roma non jam civitas, ſed larvarum & lemurum domus eſt: & (ut breviter dicam) ſcelerum ac dedecorum omnium ſentina, atque ille viventium infernus, tanto ante Davidico ore notatus, quam funditatus aut cognitus. Quid eventurum cenſes, ubi extincta prorſus & ſepulta virtus eſt? & ubi nulla fides habitat? ubi tumor, livor, luxus, avaritia, cum artibus ſuis regnant? ubi peſſimus quiſque provehitur, & munificus prædo ad cœlum tollitur, juſtus pauper opprimitur? ubi ſimplicitas amentiæ, malitia ſapientiæ nomen habet? ubi Deus ſpernitur, adoratur mundus, calcantur leges, irridentur boni? Novi expertus, quod nulla ibi ſit pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla Dei reverentia, nullus timor, nihil ſancti, nihil juſti, nihil æqui, nihil penſi, nihil denique vel humani: amor, pudor, decor, candor, inde exulant. De veritate equidem ſileo. Nam quis usquam vero locus, ubi

mea-

mendaciis omnia plena ſunt? aer, terra, domus, turres, vici, atria, plateæ, porticus, veſtibula, aulæ, thalami, tectorum laquearia, murorum rimulæ, diverſoria ædium, penetralia templorum, judicum ſubſella, Pontificum ſedes? ad poſtremum, ora hominum, nutus, geſtus, voces, frontes, animi? Quid ait? An mentior? an vero de mendaciis verum loquor? In illa nefaria ſcelerum ſcena, omnia ſunt virtute vacua, plena criminibus, plena fallaciis, plena fucis, plena blanditiis, plena peſſimis artibus, ambitionis, avaritiæ, ſuperbiæ, livoris. Corrupti enim ſunt, & abominabiles facti in ſtudiis ſuis. Non eſt qui faciat bonum, non eſt usque ad unum. Viſa loquor, non audita, fato meo peſſimo in eas terras puer evectus, &c. Ecce jam oculis vides, jam manibus palpas, qualis eſt Babylonilla noviſſima, fervens, æſtuans, obſcœna, terribilis. Nilum & Euphratem Roma vincit, imo tartarea flumina vincit: Cocytum vincit, & Acherontem. Quicquid uſpiam perfidiæ ac doli, quicquid inclementiæ & ſuperbiæ, quicquid impudicitiæ effrenatæque libidinis, quicquid denique impietatis & morum peſſimorum ſparſim habet, aut habuit mundus, id totum cumulatim occupat, acervatimque tenet. Hactenus Petrarcha.

25. Anno 1528, Commentaria quædam in Apocalypſin à Luthero, ſine authoris nomine ſunt edita: quæ ſibi aliunde ex finibus Livonicis & Polonicis, ut teſtatur, transmiſſa fuêre. Compertum autem eſt poſtea, & Johannis Wiclevi eſſe, per Johannem Purvæum An- *Wiclevus.*

 glum

glum ex prælectionibus magiſtri collecta. In eo opere idem Johannes apertiſſimis verbis Eccleſiam Romanam, Babylonicam meretricem, ea Papam Antichriſtum probat, eo quod neglecto Dei verbo, ſuas traditiunculas ac nugas doceat, Evangelium pioſque doctores opprimat. Item, quia quæſtus gratia indulgentias excogitaverit, potentiam & ſplendorem regni ſub falſo donationis Conſtantini nomine ad ſe traxerit. Enumerat & alia plura flagitia, moreſque Papæ & Prælatorum: præcipue vero, quod ex mandatis Chriſti conſilia faciant. Hortatur etiam omnes, ut fugiant ex illa Babylone. Idem Purvæus, Romam in Dei ſpiritu diaboli proſtibulum eſſe dicebat: & Eccleſiam ejus magnam, affirmavit eſſe ex fœda ſuperſtitionum colluvie, meretricem illam magnam in Apocalypſi deſcriptam, quæ ſedens ſuper aquas multas, incredibili tyrannide & hypocriſi Chriſtiana regna omnia ſeduxit: Apocalypſis 17. Balæus de ſcriptoribus Anglicis, Centuria ſeptima.

Purvæus.

Anno Domini 1408, durante ſchiſmate inter Gregorium XII. & Benedictum Nonum, Manfredus Vercellenſis, ordinis Prædicatorum theologus, præſentem ſentiebat adeſſe Antichriſtum. Ac contra eundem Manfredum ſtatim prædicabat Bernardinus Senenſis, Franciſcani ordinis monachus. Matthias Pariſienſis, ſed patria Bohemus, parum antea, ſcripſit de Antichriſto librum valde prolixum, in quo Papæ ac ſui cleri turpitudines inſectatur. Locuſtas in Apocalypſi deſcriptas, dicit eſſe hypocritas in Eccleſia regnantes. Jacobus Miſ-

nenſis

nenſis etiam compoſuit de adventu ipſius Antichriſti librum, in quo mentionem facit cujusdam docti viri nomine Miltizy Bohemi, quem famoſum ac venerabilem prædicatorem appellat: qui anno Chriſti 1366. docuit, Antichriſtum adeſſe, ac nullam in Papa, Cardinalibus, Epiſcopis, Prælatis, ſacerdotibus atque aliis religioſis veritatem inveniri: ac propterea à Johanne Pragenſi Archiepiſcopo fuiſſe incarceratum. Hæc Balæus centuria ſeptima de ſcriptoribus Britanniæ, in appendice, de Thoma Kolby.

27. Petrus Johannes Minorita cum alia multa contra Papam docuit, tum etiam, quod Papa ſit Antichriſtus, & Synagoga Romana ſit magna Babylon ante annos 260. Unde cum vivum nequiviſſet exurere Papa, longe poſt mortem oſſa ejus effoſſa exuſſit. Balæus in Laurentio Anglico, in Catalogo Britannicorum ſcriptorum.

28. Michael Ceſennas generalis Minoritarum, floruit una cum aliis qui tyrannidem Pontificiam tempore Ludovici Bavari oppugnârunt, & accuſavit Romanam Eccleſiam tanquam Babylonicam meretricem piorum ſanguine ebriam: dicens duas eſſe Eccleſias, alteram impiorum florentem, alteram afflictam piorum. Atque ob eam cauſam à Papa ſua dignitate privatus eſt. Veruntamen nihilominus in ſententia permanſit. Catalogus teſtium veritatis.

29. Wolffgangus Aitinger, clericus Auguſtanus, qui prophetias Methodii commentariis illuſtravit, contendit Antichriſtum non in cor-

porea, ſed myſtica Babylone naſciturum. Ea vero, teſte Petro, Roma eſt.

Hiſce alia quoque ſimilia teſtimonia quamplurima adduci poſſent: ſed his ipſis contenti, omnium qui unquam fuerunt fraterculorum doctiſſimi, ac vitæ ſeveritate morumque ſanctitate clariſſimi vatis Bapt. Mantuani carmina aliquot ſubjiciemus, in quibus Babylonicæ illius meretricis impuritates atque tyrannidem, ſicut & alii pii ante ſua tempora, ad liquidum deteſtatus eſt.

IN ROMAM, EX PRIMO libro Sylvarum.

Roma quid inſanis toties? quid ſanguine gaudes?
Quid geris imbelli ſpicula tanta manu?
Quo veſana ruis? ſtudioque armaris inani,
Jam ſenio laſſas debilitante manus?
Nec potes antiquos belli neſcire tumultus,
Nec ſolitam rabiem longa ſenecta domat.
Si foris arma tacent, tu bella domeſtica tentas:
Nec feritas requiem ferre ſuperba poteſt.
Tu ſimilis colubro, quoties gravis ira venenum
Suſcitat, & mota lumina bile rubent.
Sic furis, ut ſpumis ex ore cadentibus atrox
Fulmineo quoties dente minatur aper.
Sic fremis, ut frendens, cum ferrea vincula mandit
Cerberus, & Stygias murmure turbat aquas.
Tu fratres in bella vocas, in pignora patres,
Et ſcelus omne audes, & paris omne nefas.

Fas

Fas & jura negas, homines & numina fallis:
Nec Jovis imperium, nec Phlegethonta times.
Singula texentem convitia deſeret ætas,
Tantum ac tale tua eſt improbitatis onus.
Romanis pater eſt Mavors, lupa Martia nutrix:
Hæc hominum mores ingeniumque docent.
Vivere qui ſanƈte cupitis, diſcedite: Roma
Omnia cum liceant, non licet eſſe bonum.

IDEM LIBRO TERTIO
Calamitatum.

Interea noſtras odiis flagrantibus urbes
Exercent furiæ, per rura, per oppida ſævit
Martis opus: Petrique domus polluta fluenti
Marceſſit luxu. Nulla hic arcana revelo,
Non ignota loquor, liceat vulgata referre,
Sic urbes populique ferunt: ea fama per omnem
Jam vetus Europam, mores extirpat honeſtos:
Sanƈtus ager ſcurris, venerabilis ara cinædis
Servit, honoranda divûm Ganymedibus ædes.
Quid miramur opes, recidivaque ſurgere teƈta?
Thuris odorati globulos, & cinnama vendit
Mollis Arabs, Tyrii veſtes & muricis imbrem:
Indus ebur, croceum Cilices & Tmolus odorem:
Mel Siculi, ferrum Chalybes, tenuiſſima Seres
Vellera, Cretenſes molliſſima vina, Tanager
Pernices mercatur equos: venalia nobis
Templa, ſacerdotes, altaria, ſacra, coronæ:
Ignes, thura, preces, cœlum eſt venale,
Deusque.

Hi

Hi quoque, qui nomen de relligione ſuperbum
Uſurpant, quanquam ſanctis à patribus ortos
Se jactent, ovium molli ſub vellere fraudes
Mente Lycaonias ſervant, & crimine ſordent.
Quod ſpeciem virtutis habens, ſcelus omne colorat:
Inviſi ſuperis, fœdaque libidine olentes
Heu fruſtra inceſtis iterant ſacra orgia dextris,
Polluti circum quoties altaria vultus
Conveniunt, celebrantque choros & carmine mixto
Sancta Deum vanis penetralia vocibus implent:
Irritant, iraſque movent, non numina flectunt.
Hac prece nil opus eſt: nil adjutoribus iſtis
Auxilii ſperate, novis date templa miniſtris.
Sacrilegum genus ex adytis, templiſque deorum
Pellite, nec longos ſcelera hæc vertantur in uſus.
Tempora Martigenæ quid inania perditis? Ite,
Ite lares Italos, & fundamenta malorum,
Romuleas arces, & pontificalia tecta,
Colluviem ſcelerum, &c.

ORA-

ORATIO REVERENDISSIMI

Epiſcopi Joannis Staphilæi Siburicenſis, habita ad Rotæ auditores anno Chriſti M. D. XXVIII, die XV. Maji, poſt direptionem urbis Romæ: qua oſtenditur excidii urbis cauſa, & Romam eſſe ipſiſſimam Babylonem, de qua Prophetæ & Apoſtoli vaticinati ſunt: impreſſa ante annos 38. cum teſtimoniis Practici Ferrarienſis, commonſtrantibus Cæſaris majeſtatem eſſe ſupra Papam & omnem clerum.

MOs erat priſcis illis Romanis: Reverendiſſimi Patres, vosque cæteri viri præſtantiſſimi! parta de hoſtibus victoria, necnon in natalitiis Cæſarum, vel alias pro commodo Reipublicæ rebus ſic exigentibus, paucis admodum diebus, clauſo foro, indicere juſtitium, quo Senatus populusque Romanus promptius rei ſacræ vacaret: & dimiſſis aliquantiſper tribunalibus, ac ſtrepitu judiciorum, otio vel negotio liberius pro arbitrio frueretur. At nobis miſeris, & huic infeliciſſimæ Urbi, anno ſuperiori longe aliter evenit. Nos etenim non ſponte & pro arbitrio noſtro, ſed Deus ipſe acerrimus ſcelerum vindex, & flagitiorum noſtrorum, pro gratulatione commodorum Reipublicæ Chriſtianæ, & hujus ſanctæ ſedis, ſed pro graviſſima calamitate & afflictione ejusdem, non pro natalitio Clementis VII. Pontificis maximi, ſed pro captivitate, & duriſſima (ut ita dicam) ſeveritate, illius denique non paucis diebus, ſed

ſed integro anno, & ultra: Deus inquam, per manus ſceleſtiſſimorum hominum, vel (ut verius dicam) ſæviſſimarum ferarum, juſtitium indixit, tribunalia noſtra ſubvertit, locum hunc ſacrarium juſtitiæ, cum omnibus ad divinum cultum pro more ibidem exiſtentibus expilavit, prophanavitque libros noſtros, divinas ac humanas leges continentes: quibus pro adminiſtranda juſtitia toti orbi ſedulo utebantur. Quosdam ex illis dilaceravit, quosdam igni conſumpſit, reliquos aut iis, quorum fuerunt venales, expoſuit, aut ad indignos inhoneſtosque uſus ludibrio habuit. Denique poſt invaſionem direptionemque ædium noſtrarum, nos ipſos, cum omnibus domeſticis & familiaribus noſtris, in arctiſſimas nephandiſſimorum ſatellitum cuſtodias conjecit, propoſitis paſſim variis tormentis, ſæpe etiam adhibitis, etſi non corporibus noſtris forſitan, familiarium tamen noſtrorum nihilominus, quo precioſiorem ſupellectilem, tot vigiliis & laboribus partam, in ſecretiora forte loca depoſitam, indicarent. Illos interim, & nos per diverſa urbis hoſpitia diligentiſſime obſervantes, pane doloris & aqua anguſtiæ miſerrime ſuſtentantes, ita ut nobis omnibus vita eſſet ſupplicium, & mors ſolatium.

Excidium & calamitas urbis Romæ.

Quapropter directis nunc in cœlum oculis, lamentabiliter poſſumus deflere cum Propheta: Recordare Domine quid acciderit nobis, intuere & reſpice opprobrium noſtrum. Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtræ ad extraneos, pupilli facti ſumus absque patre: matres noſtræ viduæ cervicibus noſtris jugiter

jugiter minabantur, lapſis non dabatur requies.

Adde his malis ſæviſſimam peſtilentiam, quæ longe lateque debacchata eſt, totam fere hanc miſerrimam urbem invadens.

Junge inſuper extremam famem, ac neceſſariorum omnium ad victum humanum ſummam penuriam. Tandemque eo ventum eſt, ut qui paulo ante cunctis omnino rebus copioſiſſime affluebamus, repente neceſſariis omnibus fuerimus deſtituti.

Poſtremo, urbe veteres coloni propulſi, vix urbes, vicinique montes receperunt fugam noſtram. At mala hæc nobis cum cæteris omnibus Romæ nunc exiſtentibus communia fuêre.

Nos, nos, qui hujusce ſumus profeſſionis, noſtra inſuper propria damna ſenſimus, qui domeſticam hujus urbis jacturam fecimus: Nos inquam, reverendi Patres, integerrimos graviſſimosque collegas noſtros eodem anno amiſimus. Vos honorandi advocati, totidem collegas veſtros ſupra quartum, quem ſuperiori anno tota hæc Curia deploravit: viros nempe doctiſſimos, conſummatiſſimosque eo ipſo tempore perdidiſtis. Vobis quoque cauſarum patroni, vobis inſuper tabelliones & notarii, profeſſionis veſtræ damna non defuerunt. Sed unde hæc quæſo? Quasve ob cauſas tot, & tam graviſſima incommoda nobis evenêre?

Nempe, quia omnis caro corruperat viam ſuam, eramus omnes cives & inhabitatores, non Romæ urbis ſanctæ, ſed Babylonis urbis pecca-

Cauſa directa urbis Romæ.

peccatricis, de qua impletum eſt temporibus noſtris verbum Domini in Eſaia: Quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis, plena judicio & ſanctitate? Juſtitia prius habitabat in ea, nunc nunc ſacrilegi & homicidæ: prius gens ſancta, populus acquiſitionis, nunc populus Gomorrhæ, ſemen nequam, filii ſcelerati, ſacerdotes infideles, ſocii furum, diligentes munera, ſequentes retributiones, de quibus idem Dominus conqueritur per Prophetam Eſaiam: Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem me ſpreverunt: dereliquerunt vias meas, blaſphemaverunt ſanctum Iſrael: alienati ſunt retrorſum. Propterea per curiam vos ultra addentes prævaricationem, protinusque volens oſtendere, quibus percuſſionibus affligendi ſimus, ſubjungit: Terra veſtra deſerta, civitates veſtræ ſuccenſæ igni, regionem veſtram coram vobis alieni devorant.

Romam eſſe Babylonem.

Sed ne quiſquam arbitretur, vaticinium hoc Prophetæ jamdudum fuiſſe impletum in everſione Babylonis & Hieruſalem, ſub Veſpaſiano & Tito Imperatoribus Romanis: cum verba prophetiæ videantur reſpicere tempus illud præſens Prophetæ, non futurum: animadvertendum cenſeo, juxta Eccleſiaſticam veritatem futura fuiſſe præſentia Prophetis, quaſi jam futura præſentia cernerent oculis mentis, ut paſſim ex Sacris paginis facile deprehendimus. Sed ne longe exempla petamus, hoc ipſum in hoc eodem propoſito nobis idem Propheta innuit, declarans ſeipſum verbis de futuro, ſubjungens: Derelinquetur filia Sion, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili. Hanc filiam Sion

Sion Joannes Apoſtolus in Apocalypſi interpretatur non Hieruſalem, ſed Romanam prorſus urbem: quod ex illius deſcriptione, ſi introſpicimus, in aperto eſt: dum exponens Joannes, ſeu verius unus de ſeptem Angelis Joanni viſionem, quam vidit ſuper damnatione mulieris meretricis, ſub nomine Babylonis intelligit hanc urbem: Mulier, inquit, quam vidiſti, eſt civitas magna, quæ habet regnum (quod de regno ſpirituali vult intelligi) ſuper reges terræ. Dicit illam ſedere ſuper ſeptem montes, quod proprie Romæ convenit, quæ ab antiquis ob hoc potiſſimum dicta eſt Septicollis. Ponit ſedem quoque illius ſuper aquas multas, quæ ſignificant populos, gentes, ac varias linguas: ex quibus magis, quam ulla alia, in orbe præſertim Chriſtiano collecta eſt hæc urbs, ut videmus. Et propterea dicitur communis patria omnium undecunque venientium. Dicit præterea plenam eſſe nominibus blaſphemiis, matrem immunditiæ, fornicationum & abominationum terræ. Hæc quippe verba demonſtratione hujus urbis magis ſpecificam non exigunt: cum hæc flagitia (& ſi ubique fere regnent) hic tamen ſedem & imperium habeant.

His tot & tantis flagitiis, prævaricationibusque illius enumeratis, ſubjungit ſeveriſſimam Dei ſententiam, quæ contra nos hoc tempore funeſtiſſimam executionem ſortita eſt. Formula autem ſententiæ hæc eſt: Quoniam pervenerunt peccata illius usque ad cœlum, & recordatus eſt Dominus iniquitatum: ideo in una die venient plagæ ejus: mors, luctus, &

fames deſolatam facient illam, & nudam, & ipſam igne concremabunt.

Quod ſi quispiam pertinacius defendere velit, Apoſtolum loqui ſpecifice de Babylone: huic ego reſpondeo, quod potius quam Apoſtolus in prima Epiſtola (teſte divo Hieronymo de Viris illuſtribus) ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificat, dum inquit: Salutat vos Eccleſia in Babylone collecta. Poſtremo, ſi his locupletiſſimis teſtibus non credimus, ſcilicet per Babylonem urbem hanc ſignificari, effectibus ſaltem hoc tempore lamentabiliter ſubſecutis credere oportet. Ex quibus manifeſtiſſime conſtat, quod plura & longe pejora, ut inquit beatus Gregorius, in his noſtris tribulationibus vidimus, quam in noſtris codicibus invenimus. Nam ſanctuario quoque ſuo, miniſtrisque ſaerorum hoc tempore non pepercit Deus. Ducti ſunt indecenter per vicos urbis Cardinales, capti Epiſcopi, presbyteri interfecti, ſacræ Virgines ſtupratæ ad altaria. In Apoſtolicoque palatio ſtabulati equi, martyrum effoſſæ reliquiæ, aperta, immo fracta mortuorum ſepulchra: & denique, quod animus luctu abhorret dicere, ſacratiſſimum Salvatoris corpus, vaſculis pro more aureis, argenteisve reverenter conditum, cum ob prædam vaſorum, tum propter contemptum (proh dolor, proh nephandum ſcelus, omnibus ſeculis deteſtandum) terræ colliſum, pedibusve plus quam ſacrilegis calcatum. Heu nos miſeros, viſio Apoſtoli in Apocalypſi, pœnas minatur huic urbi, ut diximus, admodum graves. At certe his noſtris quas paſſi ſumus, longe

longe mitiores. Magna eſt profecto ira, quando in ſua caſtra, in ſua tentoria, in ſuos denique milites ſævit Imperator. Mitius olim egit noſter Imperator, dum ſervato templo, & illæſis ſacerdotibus templi, ſat habuit, ejicere ex caſtris ſuis: hoc eſt, è templo ementes & vendentes, aſſerens domum ſuam non negotiationi, ſed orationi fore deſtinatam. At hoc lacrymoſo noſtro tempore, templa, orationes & ſacrificia noſtra deſpexit, & aſpernatus eſt. Cur quæſo tam ſevere & absque ulla pietate & miſericordia? Profecto audiamus ipſum Dominum per Prophetam tantæ ſeveritatis ſuæ reddentem cauſam: Quoniam, inquit, manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt: Quo mihi multitudo victimarum veſtrarum? Plenus ſum, ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra. Incenſum abominatio eſt mihi. Peccatis enim & ſceleribus veſtris me ad iracundiam provocaſtis. Ideo incipiens à ſanctuario meo, divina & humana, ſurſum & deorſum miſcebo omnia, ita ut ubique ſit luctus, ubique gemitus, & plurima mortis imago. Sed jam ad nos ipſos revertamur, qui, ſi verum amamus, ingenue fateamur neceſſe eſt, his tot & tantis noſtris & aliorum communibus ſceleribus non defuiſſe propria noſtra factionis ſcelera & peccata.

Juſtitia curiæ Romana.

Nos enim, qui miniſtri ſumus juſtitiæ, juſtitiam forte, ut par eſt, non miniſtravimus. Quid ſi in ſiniſtrum nos ignorantia traxit? ſi favor inflexit? ſi acceptio muneris, pel perſonæ corruperit? Vos ſpectabiles advocati, qui adſtatis (ut de mortuis & abſentibus taceam) reſponſa & conſilia veſtra plus juſto forſitan di-

vendidiſtis, ponentes tenebras lucem, quærentes mendacium, dicentes bonum malum, & malum bonum. Vos quoque patroni cauſſarum, vos inſuper tabelliones cum miniſtris, & cooperatoribus veſtris, patrocinia veſtra, operas (ne dicam quid deterius) veſtras minus forte diligenter clientulis & partibus exhibuiſtis. Quas ob res, quum omnes graviter deliquerimus, emendemus deinceps in melius, quæ ignorantes, aut ex animo peccavimus, convertamur pariter ad Dominum, & miſerebitur noſtri: quia pius & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper malitiam. Ipſe enim hortatur per Prophetam, dicens: Quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere, quærite judicium, ſubvenite oppreſſis, judicate pupillos. Poſtremo diligite juſtitiam, vos qui judicatis terram. His mundiſſimis holocauſtis, ſi iratum nobis Dominum placuerimus, absque dubio & hic (prout ipſe pollicetur) bona terræ comedemus, & in futuro pro bene geſtis ſempiterna præmia conſequemur. Quod nobis omnibus præſtare dignetur idem Dominus, qui eſt benedictus in ſecula, Amen.

Petrus de Ferrariis in forma libelli, in actione Reali, in gloſſ. Jure dominii num. 53.

HAbes amplum Eccleſiarum privilegium, quod habuit & habet conſumere ſtatum laicorum. Sunt etiam alia multa Eccleſiarum privilegia, à ſtultis Imperatoribus eis collata: ut patet in tit. de ſacroſanct. eccleſ. & in tit. ext. de immu. eccleſ. per quæ deſtructus eſt

eſt ſtatus Imperii. Inter quæ eſt ſecundum aliquos, ut Eccleſia non teneatur ad expenſas murorum civitatis: tantum teneatur ad refectionem pontium & viarum, quod eſt falſum. Imo etiam tenetur ad expenſas murorum, maxime ſi muri fiant potius ad neceſſitatem, quam ad ornatum, ut probatur per textum l. ad portus. C. de operibus publicis.

Id in forma reſponſ. rei conven. §. *præſcriptionis.*

Nec unquam quieſcet Italia, donec ipſa Eccleſia poſſideat civitates, vel caſtra, & donatio eidem facta per Conſtantinum fuerit per aliquem probum & potentem Imperatorem penitus revocata: cum non bene conveniat pſalterium cum cithara: nec datum ſit à Chriſto, nec à beato Petro, quod poſſidere debeant talia: ſed quod eſt Cæſaris reddatur Cæſari, & quod eſt Dei Deo.

Idem in eadem forma reſp. rei converti. §. *tanquam publice. num.* 10.

Et ſic nota, quot modis iſti clerici illaqueant Laicos, & ſuam jurisdictionem ampliant. Sed heu miſeri Imperatores, & principes ſeculares, qui hoc & alia ſuſtinetis, & vos ſervos Eccleſiæ facitis, & mundum per eos infinitis modis uſurpari videtis, nec de remedio cogitatis: quia prudentiæ & ſcientiæ non intenditis, ideo attendite & memoriæ commendate, &c.

In forma ſententiæ diffinitivæ. §. ſed ad quemcunque judicem competentem.

Ad Papam, quocunque omiſſo medio, appellare licet. Quod ideo providerunt, ut quæſtiones in Curiam traherent, & eorum avaritiam ſatiarent: quod tamen nunquam facient. Quia clericorum animus & appetitus eſt enixus præ cæteris in pecuniis cumulandis contra honeſtatem communem, & fidem Deo promiſſam: non attendentes, nec ſtudentes bonis moribus, nec Scripturis tam divinis quam moralibus, & potiſſime illi documento Senecæ, ſic dicentis: Multis paraſſe divitias, non finis fuit miſeriarum, ſed mutatio. Non eſt enim in rebus vitium, ſed in ipſo animo. Et alibi idem inquit: Quemadmodum nihil differt, utrum ægrum corpus, ligneo aut in aureo lecto colloces, quocunque illud transtuleris, malum ſuum ſecum transfert: ſic nihil differt, utrum æger animus in divitiis vel in paupertate ponatur, malum ſuum illum ſequitur.

In forma lib. quo agitur ad red. ra. tute. §. Ad executores.

Executores ultimarum voluntatum prohibentur eſſe fratres minores, de quo immenſe triſtantur & condolent: quia manus & pedes vellent tam ipſi, quam cæteri mendicantes clerici, ponere & immiſcere in bonis laicorum, & eos rodere uſque ad oſſa, prout quotidie faciunt; ut eſt lex, in Clem. exivi. de ver. ſig. Quia in tali officio vertitur utplurimum

mum tactus & contrectatio pecuniæ, quod eſt contrarium regulæ beati Franciſci.

In forma libelli, quo agitur ex ſubſtit. §. *Ex ſuo corpore, &c.*

Scire debes, tu ignare laice, quod imperium aliquando habuit utrumque gladium, temporalem ſcilicet, & ſpiritualem: adeoque, quod tunc Imperatores conferebant omnia beneficia Eccleſiaſtica per univerſum orbem, & amplius eligebant Papam. ut habetur in c. Adrianus. XIII. diſt. cum. & no. per Inno. in c. 11. ext. de majo. & obed. Unde eo tempore quo ſtudebant Imperatores ampliare fidem Chriſtianam, quæ tunc modica erat, & in parvo ſtatu, oportuit conferre multa privilegia Eccleſiis, & iis qui ſe ad fidem Catholicam convertebant: ut patet per tit. C. de ſacroſanc. Eccleſ. & in tit. de Epiſc. & cler. & in Aut. de ſanc. Epiſc. & in tit. de Eccleſ. tit. cum multis titulis: inter quæ privilegia fuit iſtud: Quia bona ingredientium monaſteria, applicarentur ipſis Monaſteriis, propter quod privilegium multiplicata & fundata ſunt monaſteria infinita, per univerſum orbem, olim cauſa devotionis: licet hodie cauſa rapinæ & avaritiæ in tantum, quod deſtruxerunt hodie mundum, & annihilaverunt ſtatum Imperii, & omnium laicorum: poſſunt ergo dici merito, alia loca facta vel fienda retia contexta ad capienda laicorum bona. Surgat ergo bonus Imperator, & dicant omnes: Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.

APOLOGUS PROPHETICUS

Joannis de Rupeſciſſa, quem, dum Avinione in carcere eſſet, circa annum Domini M. CCC. L. Cardinalibus recitavit: converſus ex ſecundo libro Froſſardi, nobiliſſimi hiſtorici Gallici.

PEr id tempus (inquit Froſſardus) Avinione fuit quidam frater Franciſcanus, præditus ingenio & eruditione ſumma, vocatus Joannes à Rupeſciſſa, quem Papa Innocentius VI. tenebat vinctum in caſtello Baignoſi, propter res miras, quas eventuras ille dicebat, præſertim ſuper prælatos & præſidentes in Eccleſia, ſcilicet ob immenſum luxum & ambitionem, quibus dediti erant: atque itidem ſuper regnum Franciæ, & potentiores Chriſtianitatis principes, quoniam plebem tenuem tam miſerabiliter opprimerent. Probaturum ſe vero ajebat Johannes, omnia ſua dicta per Apocalypſin & veteres libros ſanctorum Prophetarum, qui ipſi per gratiam ſancti Spiritus eſſent retecti, ſic ut diceret multa creditu difficilia. Conſpiciebantur ſane quædam evenientia eo ipſo tempore, quæ prænunciaverat: neque dicebat quicquam uti Propheta, ſed per Scripturas veteres & ſancti Spiritus gratiam, qui ipſi largitus erat ſcientiam declarandi omnes illas veteres Prophetias, ad annunciandum omnibus Chriſtianis annum & tempus quibus debebant impleri: & confecit plures libros, magna doctrina bene fundatos, Horundem in uno quodam, compoſito Salutis

tis M CCC XLVI, res complexus erat tam mirabiles, ut eas ægre quisquam eſſet crediturus: ſed earum complurium eventus jam eſt viſus. Et quando interrogabatur de bello Anglorum in Francos, dicebat jam autem viſa nihil quidem eſſe, præ illis quæ ſupereſſent videnda. Neque enim fore pacem, neque finem bellandi ullum, donec regnum Franciæ per omnes undequaque regiones eſſet vaſtatum & exhauſtum: idque omne eſt viſum poſtea ita accidere. Nam nobile regnum Franciæ fuit afflictum, & omni calamitate proſtratum, inprimis eo tempore quod Franciſcanus ille denunciarat, ſcilicet anno ſalutis 56. 57. 58. ſupra M CCC.

Porro vero de eodem, ſub finem voluminis ſecundi hæc ſubjungit, dicens: Scribenti autem mihi de hoc ſtatu rerum, quem meo ſeculo conſpiciebam in orbe, & in Eccleſia quæ hunc ad modum vacillabat, & de Principibus ſecularibus qui ita durabant & diſſimulabant, redit in memoriam, quomodo in mea juventute Papa Innocentius Avinione regnans, in carcere aſſervabat Franciſcanum quendam hominem bene eruditum, nomine fratrem Joannem à Rupeſciſſa. Iſte frater (uti Papa ajebat, & ipſe referri audivi) pluribus in locis, privatim tamen, non publice, propoſuerat ac proponebat complures autoritates & notabiles collectiones, & præcipue de adverſis caſibus qui ipſius tempore, atque etiam poſt evenerunt in regno Franciæ. De captivitate Joannis regis Franciæ loquebatur valde plane, & exponebat quædam rationi conſentanea; ſcilicet quod Ec-

cleſia adhuc multum haberet ſufferre, propter enormem luxum, quem videbat inter eos qui baculum regiminis tenebant. Atque eo ipſo tempore, quo eum vidi carcere contineri, recitabatur mihi aliquando in palatio Papæ apud Avinionem, quoddam exemplum, quod ipſe recenſuerat Cardinali Hoſtienſi, qui dicebatur ab Arthefia: & Cardinali Auxerrenſi, qui eum acceſſerunt viſum, & de iis quæ diſſereret caſtigatum. Itaque dum ſuas viciſſim affert defenſiones, id quoque addidit ſimile, quod ſubjiciam. Referebat Joannes Rupeſciſſanus hoc modo: Cum aliquando volucris in lucem prognata eſſet absque plumis, re ad alias aves delata, venerunt illam viſum: & quia conſpiciebant eſſe bene formoſam, ac gratioſam inprimis, contulêre ſuper ea conſilia, quid gratificarentur, quum ſane absque plumis neque volare, neque vivere commode poſſet. Voluêre autem ob inſignem formæ elegantiam omnino ut viveret: neque fuit ibi avis ulla, quæ de plumis ſuis aliquid ei non largiretur. Quo autem fiebat formoſior, eo plus donabant plumarum: ita ut tandem volucris illa prorſus eſſet pulchre pennata, ac volare inciperet. Atque etiamnum dum illam volantem intuentur aves pennas ſuas elargitæ, magna voluptate adficiebantur omnes. Volucris autem illa cum videret ſe adeo opulenter pennatam, & pariter ab omnibus honorari avibus, cœpit ſuperbire, neque amplius habere rationem ullam earum à quibus evecta fuerat: imo illas roſtro pungebat, vellicabat, & paſſim infeſtabat. Tum vero aves in conſilium congreſſæ, deli-

deliberabant de volucri illa, quam pennis induerant atque auxerant, mutuoque ſe interrogabant quid factu eſſet optimum? nam de ſuo tantum ſe volucri illi elargitas, ut jam plus ſatis aucta, & in ſuperbiam elata, ipſas facile contemneret omnes. Ibi pavo reſpondit: Nimium quidem meis plumis exornata eſt, itaque easdem repetam. Subjicit falco: Sane & meas ego repetam. Ac breviter, eunt iſtam in ſententiam aves reliquæ omnes, incipientes mox unaquæque revellere, ac ſibi vendicare quod plumarum donaverat. At volucris iſta faſtuoſa ita ſecum agi videns, ilico demiſit grandes ſpiritus: & palam agnovit, omne id quod tenebat bonum, honorem & plumarum cultum inſignem, non ab ſe ipſa profectum, ſed per alias ſibi donatum aves: quæ editam prius nudam & implumem uti veſtierant, ac pennis exornarant, ita & dona ſua repetere poterant. Quare ſupplex veniam rogavit, pollicens admiſſa omnia ſe correcturam ſedulo, neque commiſſuram ut poſthac unquam per ſuperbiam aut luxum plumas perderet. Iterum ergo generoſæ aves quæ prius plumas devoverant, cum viderent illam ita demiſſam ac ſupplicem, commotæ miſeratione, omnes quas abſtulerant pennas eidem reſtituunt, his tamen adjectis verbis: Lubentes quidem te inter nos volitantem aſpiciemus, tantiſper dum in animi humilitate officio tuo fungi velis: id quod egregium inprimis habet decorem. Verum hoc plane ita habet, ſi poſthac te in ſuperbiam extuleris, mox plumis omnibus te exuemus, eumque redigemus ad ſtatum, in quo primum

primum te invenimus. Hunc prorſus ad modum (dicebat frater Johannes) domini Cardinales, vobis eveniet. NAM IMPERATOR ROMANORUM ET ALEMANNIÆ, REGESQUE CHRISTIANI, AC POTENTIORES TERRARUM PRINCIPES, VOBIS DONARUNT BONA, FUNDOS ET DIVITIAS, UT SERVIRETIS DEO: ET VOS EA PROFUNDITIS PER SUPERBIAM, NEQUITIAM ET LUXUM. Quare non legitis vitam S. Sylveſtri Papæ Romani, & vobiſcum (uti par eſt) expenditis, quomodo & qua lege Conſtantinus Imperator donaverit bona Eccleſiæ? Profectò non prodeambulabat per mundum S. Sylveſter, ſtipatus ducentis aut trecentis equitibus: ſed humiliter ſe Romæ continebat, & ſobriam cum eccleſiaſticis ſolum ſuis vitam degebat. Quum igitur Imperator Conſtantinus Eccleſiæ donaret munera præclara multa, & ditiones amplas: certe non aliud habuit conſilium, quam ut juvaret religionem noſtram, & Eccleſiam proveheret, atque hæc ipſa bona & ditiones adminiſtrarentur in humilitate & juſtitia, neutiquam per ſuperbiam & luxum. Sed hodie fit planiſſime contrarium, eoque nomine Deus iraſcitur. Et iraſcetur quidem aliquando magis etiam, contra eos qui tempore futuro ſubſequentur: ita quod nobiles qui liberaliter donarant terras, cenſus & ditiones quas poſſident Eccleſiaſtici, largiri jam, frigidiores effecti, deſinant, & forte etiam prius donata auferant: neque hîc longe abeſt eventus. Ita quidem

quidem Johannes Rupeſciſſanus, quem Cardinales Avinione vinctum tenebant, explicabat verba ſua iis qui intelligere volebant: atque eo ſane modo, ut Cardinales ſæpe demirarentur. Optabant vero ipſum è medio tollere, ſi ullam necis juſtam cauſam invenire potuiſſent: ſed erat plane nulla. Itaque vitam conceſſère, quamdiu ſe potuit tolerare: neque audebant è carcere dimittere, quod argumenta proponeret tam profunda, & Scripturas exquireret adeo ſublimes, ut mundum forte in errorem aliquem abducturus fuiſſet. At certe interim viſa ſunt evenire multa, ut quidam aſſerunt, qui accuratius quam ego ipſius verba obſervarunt, quæ prædixerat, & in carcere conſcripſerat. Volebat autem confirmare quæ dicebat omnia, per Apocalypſin: & comprobationes veræ, quibus ſe armabat, ſæpius ipſum ſervarunt, quominus exureretur. Non deerant quoque quidam Cardinales, qui miſericordia affecti, non erant in ipſum tam ſeveri, quam eſſe poterant. Hæc omnia Froſſardus, ſub finem voluminis ſecundi Chronicorum.

RHYTH-

RHYTHMI E' VETUSTO QUOdam codice deſcripti, Romanum quendam advocatum cognomento le Franco taxantes, adeoque totam ſacroſanctam curiam Romanam depingentes.

Propter Sion non tacebo
Sed ruinas Romæ flebo:
Quoadusque Juſtitia
Nobis rurſus oriatur,
Et ut lampas accendatur
Juſtus in Eccleſia,
Sedet vilis, & in luto,
Princeps facta ſub tributo:
Quod ſolebam dicere,
Romam eſſe derelictam,
Deſolatam, & afflictam
Expertus ſum opere.
Vidi vidi caput mundi
Inſtar maris & profundi,
Vorax guttur Siculi.
Ibi mundi διθάλασσος
Ibi ſorbet aurum Craſſus,
Et argentum ſeculi.
Ibi latet Scylla rapax,
Et Charybdis auri capax
Potius quam navium.
Ibi pugna galearum,
Et conflictus piratarum
Id eſt Cardinalium.

Syrtes

Syrtes inſunt huic profundo,
Et Syrenes, toti mundo
Minantes naufragium.
Os hominum foris patet,
In occulto cordis latet
Informe dæmonium.
Habes juxta rationem
Διθάλασσον *per Franconem,*
Quod ne credas frivolum.
Ibi duplex mare fervet,
A quo non eſt qui reſervet
Sibi valens obolum.
Ibi venti colliduntur,
Ibi panni ſubmerguntur
Byſſum, oſtrum, purpura.
Ibi mundus ſepelitur,
Imo totus deglutitur
In Franconis guttura.
Franco nulli miſeretur,
Nullum ſexum reveretur,
Nulli parcit homini.
Omnes illuc dona ferunt:
Illuc enim aſcenderunt
Tribus tribus Domini.
Canes Scyllæ poſſunt dici
Veritatis inimici,
Advocati Curiæ:
Qui latrando falſa fingunt,
Mergunt ſimul, & confringunt
Carinam pecuniæ.

Iſte

Iſte probat ſe Legiſtam,
Ille vero Decretiſtam,
Inducens Gelaſium.
Ad probandam quæſtionem,
Hic intendit actionem
Regendorum finium:
Uti reum proſequatur,
Hic Charybdis debacchatur,
Id eſt Cancellaria.
Ibi nemo gratus gratis,
Nulli datur absque datis
Gratiani gratia.
Plumbum quod hic informatur,
Super aurum dominatur,
Et maſſam argenteam.
Æquitatis phantaſia
Sedet, teſte Zacharia,
Super bullam plumbeam.
Qui ſunt Syrtes vel Syrenes,
Qui ſermone blando lenes
Attrahunt Byzantium.
Speciem prætendunt lenitatis,
Sed Charybdi parcitatis
Supinant marſupium.
Dulci cantu blandiuntur
Ut Syrenes, & loquuntur
Primo quædam dulcia.
Frater, bene te cognoſco,
Certe nihil à te poſco,
Nam tu es de Francia.

Terra

Terra veſtra bene cœpit,
Et benigne nos excepit
In portu Concilii.
Noſtri eſtis, noſtri, cujus?
Sacroſanctæ ſedis hujus
Spirituales filii.
Ita dicunt Cardinales,
Ita ſolent dii carnales
In primis allicere.
Sic inſtillant fel draconis,
Et in fine lectionis
Cogunt burſam vomere.
Tales regunt Petri navem,
Tales habent Petri clavem,
Ligandi potentiam.
Hi nos docent, ſed indocti:
Hi nos docent, & nox nocti
Indicat ſcientiam.
Cardinales, ut prædixi,
Novo jure, Crucifixi
Vendunt patrimonium.
Foris Petrus, intus Nero:
Intus lupi, foris vero
Sicut agni ovium.
In galea ſedet una
Mundi lues importuna,
Camelos deglutiens,
Involuta Canopæo,
Cuncta vorat ſicut leo
Rapiens & rugiens,

Hic piratis principatur,
Et Joannes nuncupatur
Sedens in inſidiis,
Ventre groſſo, lota cute
Grande monſtrum: nec virtute
Sed rerum emptum vitiis.
Maris hujus non eſt dea
Thetis mater Achillæa,
De qua ſæpe legimus:
Imo vero Carlinorum
Sancta ſoror loculorum,
Quam nos Burſam dicimus.
Nam ſi burſa detumeſcit,
Surgunt venti, mare creſcit,
Et carina deperit,
Sic à ventis circumlata
Et à ſcopulis vexata
Periculo ſuberit.
Et occurrunt cautes rati,
Donec omnes ſunt privati
Tam nummis quam veſtibus.
Tunc ſecurus fit viator,
Quia nudus & cantator
Fit coram latronibus.
Quod ſi verum placet ſcribi,
Duo portus tamen ibi,
Duæ tamen inſulæ,
Ad quas licet applicari,
Et jacturam reparari
Confracta navicula.

Petrus

Petrus enim Papienſis,
Qui electus eſt Meldenſis,
Portus recte dicitur.
Nam cum mare fluctus tollit,
Ipſe ſolus mare mollit,
Et ad ipſum fugitur.
Eſt & ibi major portus
Fœtus agri, florens hortus
Pietatis balſamum.
Alexander ille meus,
Meus inquam, cui det Deus
Paradiſi thalamum,
Ille fovet literatos,
Omnes male incurvatos
Si poſſet erigere.
Verus eſſet cultor Dei,
Niſi latus Eliſæi
Gieſi corrumperet.
Sed ne rurſus in hoc mari
Me contingat naufragari,
Dictis finem faciam:
Quia dum ſecurus eo,
Ne ſubmergar, ori meo
Poſui cuſtodiam.

FRIDERICUS I. ADRIANO IV.
inter alia.

CArdinalibus veſtris clauſæ ſunt Eccleſiæ, & non patent civitates: quia non videmus eos prædicatores, ſed prædatores: non pacis corroboratores, ſed pecuniæ raptores: non orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles corraſores, &c.

Otho Friſingenſis.

Sicut ad ſpiritualem gladium, ſpirituales quoque poſſeſſionis, id eſt decimæ, primitiæ, oblationes, & alia hujusmodi pertinent: ſic materiali, omnes terrenæ dignitates, ducatus, ac hujusmodi ſubjacent. Hoc enim Deus non in una perſona, ſed ſeparatim in duabus in Eccleſia eſſe voluit. Proinde ſicut illi perſonæ, quæ gladium materialem portat, non licet contingere ea, quæ ſpiritualia ſunt: ſic & iſti ea uſurpare quæ hujus ſunt non convenit. Unde & in Evangelio ſcribitur: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ Dei ſunt, Deo. Idque Dominus ſicut prædicat verbis, ita factis declaravit, quando tributum pro ſe & Petro juſſit dari. Paulus etiam omnem poteſtatem à Deo eſſe conſiderans, in cauſa poſitus, non Petrum, qui tum Rom. cathedræ præfuit, ſed flagitioſiſſime ex Dei voluntate ſuper terram Regem conſtitutum Neronem appellavit.

EX

EX VETERI QUODAM POEMATE, cujus initium eſt , Aurea lux oritur.

Mater Ieruſalem, quaſi filia ſit Babylonis,
Sordet, vileſcit, deprimiturque jugo.
Inſpice tot rerum contagia, non reproberis
Cum reprobis, fugias, & reprobanda vide.
Hypocryſim, fraudem, mendacia, jurgia, litem,
Deſere, de vita, reſpue, pelle, fuga.
Conſortes Judæ vendunt patrimonia Chriſti.
Simonis arte perit ſpiritualis honor.
Defloret flos Eccleſiæ, languet caput omne,
Membra dolent, paſtor deviat, errat ovis.
Væ regno pueri, quia deficit arte regendi,
Perditur in fatuis potificale decus.

Hildeberti Epiſcopi Cenomanenſis in Romam diſtichon.

Urbs fœlix, vel ſi dominis urbs illa careret,
Vel dominis eſſet turpe carere fide.

Alterius cujuſpiam.

Roma tibi quondam ſuberant domini dominorum,
Servorum ſervi nunc tibi ſunt domini.

In peregrinationes ad limina Apoſtolorum, ex quodam vetuſto codice.

Roma vale, vidi: ſatis eſt vidiſſe, revertar,
Cum leno, meretrix, ſcurra, cynædus ero.

 Aliud.

Aliud.

O Roma, à Roma quantum mutata vetuſta eſt:
Non caput eſt ſcelerum, quæ caput orbis erat.

Ex veteri quodam Miſcellaneorum libro.

Roma manus rodit, nil dantem crimine prodit.
Curia Romana, quaſi febris quotidiana:
Clerum corrodit, corroſum ſpernit & odit.

Incerto autore, ex veteri codice.

Nobilibus quondam fueras conſtructa patronis,
Subdita nunc ſervis heu male Roma ruis.
Deſeruêre tui tanto te tempore Reges,
Ceſſit & ad Græcos nomen honorque tuum:
Conſtantinopolis florens nova Roma vocaris,
Moribus & muris Roma vetuſta cadis.
Tranſiit Imperium, manſitque ſuperbia tecum:
Cultus avaritiæ te nimium ſuperat.
Vulgus ab extremis diſtractum partibus orbis:
Servorum ſervi nunc tibi ſunt domini.
In te nobilium rectorum nemo remanſit,
Ingenuique tui rura Pelaſga colunt.
Truncaſti vivos crudeli funere ſanctos,
Vendere nunc horum mortua membra ſoles.
Nam niſi te meritum Petri Paulique foveret,
Tempore jam longo Roma miſella fores.

FINIS.

MAG 2021366

Digitized by Google

Google